Hujus Libri
est posesor
Josephus Kowalczyk
Zameduta

THEOLOGIA MORALIS

EX AUTHORIBUS APPROBATIS
Per interrogationes & Responsa

COLLECTA

ac

Pro utilitate tam Ordinandorum
quam Ordinatorum

PROPOSITA.

AUTHORE

R.P. GAUDENTIO WALĘCKI

Ordinis Monachorum Sancti
PAULI primi Eremitæ
THEOLOGO,
Seniore Emerito.

TYPIS
CLARI-MONTIS CZĘSTOCHOVIENSIS
Anno Domini MDCCXCVIII.

FACULTAS
THEOLOGORUM ORDINIS.

DEputatus à Reverendiſſimo Patre MARTINO JASINSKI Ordinis Monachorum S. PAULI primi Eremitæ Vicario Generali S. T. D. ad examinandum Opus, ſub Titulo: *Theologia Moralis ex Authoribus approbatis, per Interrogationes, & Reſponſa Collecta, ac pro utilitate, tam Ordinandorum, quam Ordinatorum propoſita*; Authore R. P. GAUDENTIO WALĘCKI ejusdem Ordinis Theologo, Seniore Emerito. In quo opere cum nihil ſanæ Doctrinæ, fidei, ac moribus Chriſtianis repererim, ſed omnia Statui Eccleſiaſtico per quam neceſſaria. Ut ergo hoc Opus ad publicam utilitatem typo mandari poſſit, dignum cenſeo, ſi iis ad quos de jure ita videbitur. Datum Caſimiriæ ad Cracoviam in Monaſterio Noſtro Rupellano Die 30 Junii Anno Dni 1797.

Pater Hilarion Bobrowſki Ordinis Monachorum Sancti Pauli primi Eremitæ Monaſterii Rupellano Cracovienſis Prior, S. T. D Examinator Proſynodalis. mpp.

AUthoritate Reverendissimi Patris MARTINI JASINSKI Ordinis Monachorum S. PAULI primi Eremitæ Vicarii Generalis S. T. Doctoris designatus ad trutinandum Opus; sub Titulo: *Theologia Moralis ex Authoribus approbatis per Interrogationes & Responsa collecta, ac pro utilitate tàm Ordinandorum quàm Ordinatorum proposita* per R. P. GAUDENTIUM WALĘCKI Ejusdem Ordinis Presbyterum Theologum. Illud, qua par est diligentia legi ac revidi & cum nihil in illo, quod Fidei moribusquè adversaretur; deprehenderim, dignum judico, luce publica donandum; seu Typis imprimendum, servatis de jure servandis. Datum Casimiriæ ad Cracoviam in Monasterio Rupellano Die 30 Junii Anno Dni 1797.

Pater Gaudentius Olkowski
Sacræ Theologiæ Doctor.
mpp.

FACULTAS
REVERENDISSIMI PATRIS MARTINI JASINSKI VICARII GENERALIS S. T. D.

OPus, cui Titulus, *Theologia Moralis, ex Authoribus Approbatis collecta &c.* Studio ac labore Rdi Pris GAUDENTII WALĘCKI Ords Noſtri Presbyteri, Senioris Theologi conſcriptum, cum a duobus Noſtris Theologis, ex commiſſo Noſtro deputatis perlectum & trutinatū fuerit, nihilquè in eo, Religioni aut bonis moribus contrarium repertum ſit: imo Commodo publico, utile judicatum Quare ut typis imprimi poſſit facultatem concedimus. Si ita videbitur Iis, ad Quos de Jure. Et in horum fidem, Præſentes manu propria ſubſcribimus Dabamus in Monaſterio Noſtro Claro-Montano Die 15 8bris A. Dni 1797.

Fr. Martinus Jaſińſki Ordinis S. Pauli primi Eremitæ Superior Generalis mpp.

APPROBATIO
DIÆCESANA.

THeologiam Moralem ex Authoribus approbatis per Interrogationes & responsa collectam, laboriosè ac pro utilitate tam Ordinandorum, quam Ordinatorum propositam ab Adm Rdo Patre GAUDENTIO WALĘCKI Ordinis S. PAULI primi Eremitæ Theologo Seniore emerito diligenter legi, in qua cum nihil repererim Orthodoxæ Fidei & bonis moribus contrarium, quinimò sit accomodatissima tam Ordinandis quam Ordinatis ad eorum eruditionem, conformisquè Doctrinæ tum Sacrorum Conciliorum tum SS. Patrum atq; Sapientissimis rationibus Theologicis suffulta. Proinde ut Typo mandetur dignam Censeo. Datt. in Conventu Cracoviensi Sanctissimæ Trinitatis Die 31 Maii 1798.

Fr. Tranquillinus Bielski S. Th. Dr. Archipresbyteralis Ecclesiæ Crac: Conc: Ordinarius ac per Diæcesim Cracov: Librorum Censor Ordinis Prædicatorum. mpp.

IMPRIMATUR

AUGUSTINUS LIPINSKI Vicarius Generalis Et Officialis Cracoviensis. *mpp.*

LIBER PRIMUS.

Examen Ordinandorum

CAPUT I.

De Minoribus Ordinibus

§. 1.

De Clericis & Prima Tonsura.

1. Q. *Undè derivatur Nomen Clerici?*
   R. à Voce Græca Kliros: quæ Latinè significat Sortem. Clerici enim sunt de Sorte Domini.
2. Q. *Quid est prima Tonsura?*
   R. Est signum distinctivum Ministrorum Ecclesiæ à Plebe.
3. Q. *Prima Tonsura estnè Ordo?*
   R. Non: sed est dispositio ad Ordines.
4. Q. *Quare Tonsura non est Ordo?*
   R. Quia per illam nec imprimitur Character,

cter, nec ulla Spiritualis confertur potestas agendi circa Euchariſtiam.

5. Q. *Quæ eſt materia & forma primæ Tonſuræ?*

R. Cùm prima Tonſura non ſit Ordo & Sacramentum, non conſtat igitur materiâ & formâ propriâ; tamen locô materiæ poteſt eſſe abſciſſio Capillorum, & locô formæ Verba ab Epiſcopo & Ordinando prolata: Dominus pars hæreditatis meæ & Calicis, mei tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi.

6. Q. *Quot ſunt effectus primæ Tonſuræ?*

R. Duo: Privilegium Fori & Canonis, & Beneficium Eccleſiaſticum.

7. Q. *Poteſtnè tonſuratus uti Privilegiis Fori & Canonis, non portando Habitum & Tonſurã?*

R. Non: quia delatio Habitus & Tonſuræ ſunt cauſa Privilegii, adeoq; hîs abjectîs, Clericus pro Sæculari reputabitur, ut ſtatutum eſt à Conc: Trid: Seſſ: 23. Cap. 6.

8. Q. *Quid eſt privilegium Canonis?*

R. Eſt participatio quorundam Beneficiorum Spiritualium ùt v. g. ſi quis ſvadente Diabolo ëos percuſſerit, ſit excommunicatus.

9. Q. *Quid eſt Privilegium Fori?*

R. Eſt immunitas à Juriſdictione, & Foro Sæculari.

10. Q. *Quotuplex est Forum?*
R. Triplex: Ecclesiasticum, Sæculare, & Mixtum.

11. Q. *Conferturnè etiam Gratia Sanctificans, per primam Tonsuram?*
R. Non: quia non est Sacramentum.

12. Q. *Quæ ætas requiritur ad primam Tonsurã?*
R. Plerumq; Septennium requirit Trid: cùm obligat, ut initiandus sciat Rudimenta Fidei, legere, scribere. Sess. 23. Cap. 4.

13. Q. *An peccat mortaliter, qui recipit primam Tonsuram ex intentione tantùm fugiendi Sæculare Forum? vel ob spem Beneficii Ecclesiastici?*
R. Ad 1mum: peccare saltìm venialiter ob violatum præceptum Conc. Trid.
R. Ad 2dum: Tamburinus talem paritèr à peccato veniali non excusat.

14. Q. *Suntnè certa tempora statuta pro conferenda prima Tonsura?*
R. Non: siquidem illa conferri potest quocunq; Die sive Festo, sive Feriato.

§. 2.
De requisitis tàm in Ordinando, quàm in Ordinante: ubi de Minoribus Ordinibus.

1. Q. *Quot sunt Ordines Minores?*

R.

R. Quatuor: Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, & Accolitatus.

2. Q. *Quare dicuntur Minores ?*

R. Quia versantur circa minora ac inferiora ministeria, & non habent annexum Votum Castitatis, & obligationem recitandi Horas.

3. Q *Quæ est materia & forma horum Ordinum ?*

R. Materia est illud, per quod actus Ordinis designatur, & in cujus traditione Ordo confertur; forma sunt verba Episcopi, potestatem quæ Ordinato confertur significantia.

4. Q. *Quot sunt effectus Ordinis ?*

R. Duo: Character, & Gratia Sanctificans

5. Q. *Possuntnè Ordines ritè suscepti reiterari ?*

R. Negativè.

6. Q. *Quid sunt requisita ad Ordines ?*

R. Sunt quædam qualitates tàm in Ordinando, quàm in Ordinante requisitæ ad hoc, ùt validè, & licitè ministretur Sacramentū Ordinis

7. Q. *Quotuplicia sunt hæc requisita ?*

R. Triplicia: alia ex parte Sacramenti, alia ex parte Ordinandi, alia ex parte Ordinantis

8. Q *Quid requiritur ad validè suscipiendum Ordinem ex parte Sacramenti ?*

R. Materia & Forma, quia hæc sunt partes

tes essentiales ejusdem. ita Catechismus Rom pag. 2.

9. Q *Quid requiritur ad validè ministrandum Ordinem ex parte Ordinantis ?*

R. Requiritur 1mo ut sit validè consecra-
tus; 2do ùt habeat intentionem; Ad hoc
autèm ùt licitè conferat Ordines; debet
esse in statu Gratiæ; non excommunica-
tùs suspensus; aut aliquô Canonicô impe-
dimento innodatus; insuper debet suos non
nisi Subditos ordinare, non verò alterius
Diæcesis, nisi habeat ab Ordinario licen-
tiam.

10. Q *Quid requiritur ad validè suscipiendum Ordinem ex parte Ordinandi ?*

R Requiritur 1mo ùt Ordinandus sit Via-
tor; 2do ut sit Masculus; 3tio ut sit Ba-
ptizatus; 4to ut habeat intentionem

11. Q *Quod & quæ sunt requisita ad licitè recipiendum Ordinem ex parte ejusdem Ordinandi ?*

R. Octo: 1mo: ut Ordinandus sit in Gra-
tia; 2do: ut sit confirmatus; 3tio: ùt ha-
beat Dimissoriales, & primam Tonsu-
ram; 4to: ùt sit examinatus; 5to: ùt non
sit innodatus aliquâ Censurâ: 6to: ùt per
saltum non ordinetur; sed gradatìm, vi-
delicet: ùt post Minores Subdiaconatum
accipiat; 7mo: ùt habeat annos à Trid.
Sess. 24. Cap. 12. requisitos; nempè: pro

pri-

prima Tonſura & tribus Minoribus, Septimum annum completum; pro Acco litatu Duodecimum completum; pro Subdiaconatu Vigeſimum Secundum inchoatum; pro Diaconatu Vigeſimum tertium incæptum; pro Presbyteratu Vigeſimum quintum inchoatum; 8vo: ſi vult initiari Majoribus Ordinibus debet habere titulum ſuſtentationis juxta Trid: Seſſ. 21. Cap. 2. de quo titulo agetur Cap. 2 §. 1. num. 10

12. Q *Quis eſt Ordinarius Miniſter Ordinum, quantùm ad valorem?*
R. Solus & omnis Epiſcopus. Sacerdos, & Conſecratus; ita Trid. Seſſ. 23. Cap. 4. Fuſiùs agetur Tract. 13. § 9. num. 5. de Sacramentis in ſpecie

13 Q *Quis eſt Ordinarius Miniſter Ordinum quantùm ad licitam Collationem?*
R. Eſſe proprium Ordinandi Epiſcopum.

14 Q *Quis eſt proprius Ordinandi Epiſcopus?*
R. Eſt Epiſcopus loci, Originis, Domicilii vel Beneficii.

15. Q *Quis eſt Epiſcopus Loci Originis?*
R. Quò ad Ordines eſt ille, in cujus Diæceſi quis natus eſt, aut Domicilium habebant Parentes, dùm iſte natus eſt.

16. Q *Quis eſt Epiſcopus Domicilii?*
R. Eſt Epiſcopus Diæceſis, in qua Ordinandus Clericus ſedem fixit cum animo

ibi

ibi perpetuò habitandi, nisi eam cogatur deserere.

17. Q. *Quis est Episcopus Beneficii?*

R. Est Episcopus Diœcesis in qua quis habet Ecclesiasticum Beneficium sibi collatum & possessum, licet collatio illius ad alium spectet Episcopum.

18. Q. *Qui vult ab alieno Episcopo ordinari, quibus Literis instructus esse debet?*

R. Literis Dimissoriis, quæ continent licentiam ab alio Episcopo suscipiendi Ordines, Causam dimittendi, Dispensationem in interstitiis & de jure communi testimonium de sufficientia doctrinæ.

19. Q. *Debetnè præmitti examen Ordinationi?*

R. Debet; ita Conc: Trid. & quidem diligens ac rigorosum, ut patet ex Cap. Nihil. de electi, cui debet interesse ipsemet Episcopus. Trident. Sess. 23. Cap. 7. de Refor: mos tamen permittit Ejus Vicariis, aut aliis ad hoc examen ab illo deputatis.

20. Q. *Suntnè exempti Religiosi ab hoc examine?*

R. Non.

21. Q. *Peccatnè Episcopus & Examinatores graviter approbando ignorantem?*

R. Omnino, & maximè si approbent ad Ordines Sacros.

22. Q. *Potestnè illegitimus suscipere Ordines?*

R.

R. Poteſt valide. ſed illicitè.

23. Q. *Quo loco conferendi ſunt Ordines?*

R. Majores ſi conferantur publicè, debent conferri in Eccleſia Cathedrali, aùt in alia ex dignioribus; privatim autem poſſunt conferri in Sacello Domeſtico Epiſcopi; Prima Tonſura ſicut quovis anni tempore & die, ita & loco. Minores verò in Eccleſia Epiſcopatûs.

§. 3.

De Minoribus Ordinibus in ſpecie.

1. Q. *Quid eſt Oſtiariatus?*

R. Eſt poteſtas, per quam Ordinatus poteſt recipere dignos, & excludere indignos ab Eccleſia DEI. & ĕam cuſtodire.

2. Q. *Quæ eſt materia hujus Ordinis?*

R. Remota: ſunt Claves Eccleſiæ; proxima: eſt traditio & receptio ëarum, & hæ Claves debent eſſe Eccleſiæ.

3. Q. *Quæ eſt forma Oſtiariatûs?*

R. Sunt verba ab Epiſcopo prólata, hæc; ſic age, quaſi rationem DEO redditurus pro iis rebus, quæ his Clavibus recluduntur.

4. Q. *Quid ſi darentur Claves Cellarii Ordinando, eſtnè Ordo validus?*

R. Tales Claves eſſe materiam dubiam.

5. Q. *Quare Ostiarius pulsare debet tintinabulum?*
R. Ut pateat eum accepisse potestatem convocandi populum ad Divina, & admonendi ad specialem attentionem circa Mysteria Sacrificii.
6. Q. *Quod est Officium Ostiarii?*
R. Est *primo* aperire & claudere januas Ecclesiæ; *2do* custodire Apparamenta ejus; *3tio* pulsare Campanam; *4to* recipere dignos. & excludere indignos.
7. Q. *A quo & quando institutus fuit Ostiariatus?*
R. A Christo Domino Matth. 21. quando ementes & vendentes ejecit è Templo.

§. 4.

1. Q. *Quid est Lectoratus?*
R. Est potestas, per quam Ordinatus in Lectorem, potest legere Lectiones & Prophetias.
2. Q. *Quæ est materia hujus Ordinis?*
R. Remota: est Liber Sacras Lectiones continens; Proxima: est traditio ejusdem.
3. Q. *Quæ est forma Lectoratûs?*
R. Verba Episcopi hæc: accipe potestatem, & esto Verbi DEI relator.
4. Q. *Quod est Officium Lectoris?*
R. *1mò* annuntiare populo Verbum DEI;

2do

2do docere Catechumenos Rudimenta Fidei; *3tio* legere Epiſtolas & Prophetias

5. Q. *A quo & quando fuit Lectoratus institutus?*

R. A Chriſto Domino, quando in medio Seniorum Librum aperuit Iſaiæ, & completâ lectione clauſit, deditq; Miniſtro.

§. 5.

1. Q. *Quid eſt Exorciſtatus?*

R. Eſt poteſtas, per quam Ordinatus in Exorciſtam poteſt expellere Diabolum, ne impediat aliquem a ſumptione Euchariſtiæ.

2. Q. *Quæ eſt materia Exorciſtatûs?*

R. Remota: eſt liber Exorciſmorum; Proxima traditio ejusdem.

3. Q. *Quæ eſt forma?*

R. Verba Epiſcopi ad traditionem materiæ prolata: accipe & commenda memoriæ, & habe poteſtatem imponendi manus ſuper Energumenos, ſivè Baptizatos, ſivè Catechumenos.

4. Q. *Quod eſt Officium Exorciſtæ?*

R. *1mo:* imponere manus ſuper Energumenos, legendo ſuper illos Exorciſmum; *2do* imponere manus ſuper Catechumenos antè Baptiſmum ad fores Eccleſiæ.

5. Q

5. Q. *A quo & quando fuit institutus Exorcistatus?*

R. A Christo Domino, quando tetigit aures Surdi dicendo: Epheta; quod est: ad: aperire; & quando de Maria Magdalena septem ejecit Dæmonia.

6. R. *Qui sunt Energumeni?*

R. Illi, qui sunt obsessi à Dæmonibus.

7. Q. *An Exorcista post suam immediatè peractam Ordinationem possit manus imponere super Energumenos, & Dæmones adjurare per Exorcismum?*

R. Non: sed debet habere potestatem Jurisdictionis, siquidem tunc habet solum potestatem Ordinis.

§ 6.

1. Q. *Quid est Accolitatus?*

R. Est potestas, per quam Ordinatus in Accolithum potest accendere lumina, & portare Urcëolos cum vino & aqua ad Altare.

2. Q. *Quæ est materia hujus Ordinis?*

R. Remota est duplex: Candelabrum cum cereo extincto, & urceolus vacuus; proxima horum traditio.

3. Q. *Quotuplex, & quæ est forma Accolitatûs?*

R. Duplex: una correspondens primæ ma-

teriæ, ſcilicet: Candelabro, & ſunt hæc verba: Accipe Ceroferarium cum Cereo, & ſcias te ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari in Nomine Domini; altera: Accipe Urceolum ad ſuggerendum vinum & aquam in Eucharistiam Sangvinis Christi in Nomine Domini

4. Q. *Quotuplex eſt Officium Accolithi?*
R. Duplex: præparare luminaria ad Sacrificium, & portare Cereum accenſum ante Sacerdotem, porrigereq́; Urceolos Subdiacono in Miſſa.

5. Q. *A quo fuit inſtitutus Accolitatus?*
R. A Christo Domino Joann. 8. dicente: ego ſum lux mundi.

6. Q. *An omnes Quatuor Ordines eadem die recipi poſſunt?*
R. Poſſunt; ſi Epiſcopo Ordinanti placuerit; ita Trident: Seſſ: 23. Cap: 11.

7. Q. *Qui ſunt effectus horum Quatuor Ordinum?*
R. Gratia, & Character.

CAPUT II.

De Majoribus Ordinibus in Cõmuni.

§. I.

1. Q. *Quot ſunt majores Ordines?*
R. Tres: Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus.

2. Q. *Quare vocantur Ordines Majores & Sacri?*

R. Quia versantur circa majora officia, & habent annexum Votum servandæ Castitatis.

3. Q. *Quæ sunt requisita ad hos Ordines Sacros?*

R. Præter enumerata Cap. 1. §. 2. requiritur testimonium de vita & moribus juxta Trid: Sess: 23. Cap. 3. nec non testimonium de acceptis Ordinibus minoribus. primaq; Tonsura.

4. Q. *Quô tempore conferri possunt licitè hi Ordines Sacri?*

R. Sex tempora esse statuta ab Ecclesia; videlicet: mane Sabbathis Quatuor temporum; Sabbatho ante Dominicam Passionis. & Sabbathô Sanctô.

5. Q. *Extra hæc tempora possuntnè conferri Sacri Ordines?*

R. Possunt cum dispensatione Pontificia, vel quibus ille concessit dispensare.

6. Q. *An in temporibus Ordinationum possint suscipi uno die duo Ordines Sacri?*

R. Non; quia Trid: Sess: 23. Cap. 13. cassat quò ad hoc omnia Privilegia in contrarium concessa.

7. Q. *Quæ interstitia requiruntur ad suscipiendos Sacros Ordines?*

R. Juxtà Trid: Sess: 23. Cap. 11. 12. &

13. integer Annus Ecclesiasticus requiritur

8. Q. *Quis potest dispensare in interstitiis?*

R. Solus Episcopus quò ad suos Subditos spectatâ causâ utilitatis, aùt necessitatis Ecclesiæ.

9. Q. *An ad Sacros Ordines suscipiendos requiritur aliquis titulus?*

R. Requiritur juxtà Trid: Sess: 21. cap: 2. de Reformat. quia indecens est Clericos mendicare, aut turpem quæstū exercere.

10. Q. *Quotuplex est titulus?*

R. Triplex: Paupertatis pro Regularibus validè Professis; Religiosus enim Professus ad Sacros Ordines optimè potest promoveri, cùm habeat honestam sustentationem vitæ, nàm ipsum Religio perpetùo alere tenetur; Beneficii, quale est Parochiale aut Canonicatus, vel Capellania authoritate Episcopi fundata in perpetuum, Patrimonii, quod est bonum Fortunæ proprium, sivè arte, sivè hæreditate, sivè donatione acquisitum, sufficiens ad honestè vitam ducendam.

11. Q. *Quam incurrit pœnam initiatus Sacris Ordinibus absq; titulo?*

R. Incurrit suspensionem. ita Trid: Sess: 23. Si verò exercuerit susceptum Ordinem, erit irregularis, quia violat Censuras.

12\. Q. *Quæ est obligatio adjuncta Majoribus Ordinibus?*

R. Recitatio Divini Officii, & Votum servandæ Castitatis.

13\. Q. *An sufficit titulus Coadjutoriæ cum spe futuræ successionis, & assignatione congruæ & perpetuæ sustentationis?*

R. Sufficere, quia tali non deest congrua sustentatio.

14\. Q. *An sit sufficiens titulus Seminarii præbentis honestam sustentationem?*

R. Esse, si est perpetuus.

15\. Q. *An filius Patris divitis ordinari possit ad titulum Patrimonii, nullâ factâ assignatione à Patre?*

R. Teneri Patrem juxta receptam consvetudinem, certa Bona fructifera, assignare, donare. & tradere, effugiendo periculum mendicationis, aùt turpis quæstûs.

16\. Q. *An sit legitimus titulus in Bonis mobilibus consistens?*

R. Negativè, quia fructus permanentes reddere non possunt (juxta Aforium) nisi sit pecunia parata ad Census, vel immobilia Bona emenda.

17\. Q. *Quas incurrit pœnas Ordinatus ad Sacros Ordines ante legitimam ætatem?*

R. Suspensionem non tantùm ab Ordine suscepto, sed etiam ab aliis ante susceptis. ita declaravit Pius II.

CAPUT III.

De Majoribus Ordinibus in specie.

§. 1.

1. Q. *Quid est Subdiaconatus?*

R. Est potestas, per quam Ordinatus in Subdiaconum potest portare Calicem cum vino ad Altare, & præparare alia necessaria ad Eucharistiam, nec non Epistolam solemniter in Ecclesia legere.

2. Q. *Quæ est materia & quotuplex Subdiaconatus?*

R. Duplex: remota & proxima. Remota est duplex: una Calix vacuus, & Patena vacua. Altera Liber Epistolarum. Proxima autèm est horum traditio, & acceptatio.

3. Q. *Quotuplex est forma Subdiaconatûs?*

R. Duplex: una est correspondens materiæ primæ, nempè Calici & Patenæ, hæc scilicet verba ab Episcopo prolata: Videte, cujus ministerium vobis traditur: &c. altera correspondens Libro Epistolarum: Accipe Librum Epistolarum &c.

4. Q. *Quod est Officium Subdiaconi?*

R. *Primò* Calicem & Patenam ad usum Sacrificii præparare, & ad Altare deferre. *2dò* Epistolam solemnitèr cantare, scilicet cum Manipulo &c. *3tiò:* Vinum & aquam

aquam Diacono porrigere. 4tò: Sacra Vasa, uti Pallas, Corporalia &c, lavare 5tò: Crucem in Processionibus portare ita Magister Sententiarum lib: 4. Dist: 24.

5. Notandum: quod deficiente Subdiacono pro Missa solemni potest substitui Clericus in minoribus constitutus ad cantandam Epistolam, absq; tamen Manipulo. ità S. R. C die 5. Julii 1698.

6. Q. *Quæ est obligatio Subdiaconi?*

R. Est Divinum Officium recitare, & Castitatem servare perpetuam

7. Q. *Quando & à quo fuit institutus Subdiaconatus?*

R. A Christo Domino Joan: 13. quando Linteo præcinctus pedes Discipulorum lavit.

8. Q. *An sit de necessitate Sacramenti, ùt Ordinatus tangat materiam ipsam?*

R. Esse; & quidem tactu Physico.

9. Q. *Est è de essentia ùt Calix cum Patena, quæ traduntur Ordinando debeat esse consecrata?*

R. In praxi debere esse consecrata ex usu Ecclesiæ, & docent aliqui esse de necessitate Sacramenti, quamvis oppositum sit veriùs ex Tamburino de Ord: lib: 7. Cap: 3. §. 2.

10. Q. *Si traderetur Ordinando solus Calix. vel sola Patena. essetnè validè ordinatus?*

R. Probabiliùs negativè, quia traditio illa refer-

refertur ad utramq; partem Sacrificii, scilicet Corporis & Saugvinis, ideò utriusq; vasa tradi debent.

11. Q. *Si Subdiacono tradatur Calix cum vino, & Patena cum Hostia, eritne valida Ordinatio?*

R. Erit. ità Lugo. Quia Episcopi intentio solùm est, tradere ipsa vasa sine materia contente in illis.

12. Q. *Quæ sunt Vestes Subdiaconi?*

R. Amictus. Alba. Cingulum. Manipulus, & Tunicella. Manipulus quidem est propria ipsius Vestis, aliæ communes Diacono.

13. Q. *Quid significat Tunicella?*

R. Significat Doctrinam Christi; vel significat lætitiam & jucunditatem quæ sequitur perseverantiam Castitatis.

14. Q. *Quid significat Manipulus?*

R. Significat etiam minimas maculas abstergendas esse per pænitentiam.

15. Q. *Quid facere debeat Subdiaconus, si ministraturus est aliquando solemnitèr, ubi non potest habere in Ecclesia Manipulū?*

R. In hoc casu potest accipere Stolam, & eam ad brachium adaptare locò Manipuli; quia omnia indumenta Sacerdotalia communi Ecclesiæ benedictione consecrari solent.

Nota: *Quid significant Paramenta omnia,*

qui

quibus Ministri utuntur ad Aras?

R. Vestimenta & ligamenta Christi tempore Passionis ejus habita.

Nota: Quæ ætas requiritur ad Subdiaconatum?

R. Ex Trid: Sess: 23. Cap: 12. Annus 22. inchoatus.

Nota: Quæ literatura requiritur in Subdiacono?

R De jure communi sufficiet, si libros communes latinos intelligat, seu ex latino in vulgare idioma vertere possit.

Nota: An peractâ Ordinatione, Subdiacono aliquid recitandum imponitur?

R. Unus Nocturnus illius diei, quô ordinatur: stricta siquidem obligatio nascitur Subdiacono recitandi Divinum Officium sub peccato mortali, ab illa hora, quâ ordinatus est in Subdiaconum. Eadem obligatio imponitur Diacono.

§. 2.

De Diaconatu.

1. Q. *Quid est Diaconatus?*

R. Est potestas per quam ordinatus in Diaconum potest proximè Sacerdoti in ministerio Altaris assistere, & Evangeliũ cantare solemniter,

2.

2. Q. *Quotuplex est, & quæ materia Diaconatûs?*

R. Duplex: remota, & proxima. Remota: Est Liber Evangeliorum, & manus Episcopi. Proxima est traditio ejusdem Libri, & acceptatio, ac manus Episcopi impositio super Caput Diaconi. Traditio Libri Evangeliorum pro materia proxima determinata est in Conc. Floren. ab Eugenio Papa. Impositio autèm manus Episcopi pro materia partiali ejusdem Ordinis determinata est in Conc. Carthag.

3. Q. *Quotuplex est forma Diaconatus?*

R. Duplex: una correspondens primæ materiæ, & sunt hæc verba: Accipe potestatem legendi; altera correspondens secundæ materiæ, suntq; hæc verba: Accipe Spiritum S. &c.

4. Q. *Quod est Officium Diaconi?*

R. 1mò: Presbytero Sacrificanti proximè assistere. 2dò: Evangelium solemniter cantare, videlicet cum Stola: 3tiò: in defectu Presbyteri, vel de ejus licentia, Eucharistiam populo distribuere. 4tò: in absentia vel de licentia Presbyteri solemniter baptizare. 5tò: Populo prædicare. Sunt & alia munera Diaconi ex constitutione Ecclesiæ; ut Baptizandos instruere, purgare, vestibus expoliare, Episcopo prædicanti assistere, eumq; cu-

ito-

ſtodire, & tanquam ejus oculum Populi mores perveſtigare, eiq; ùt eos perficiat, vel corrigat, referre; Bona Eccleſiæ diſpenſare, eleëmoſynas diſtribuere.

5. Q. *Requiriturnè tactus Phyſicus materiæ porrectæ ab Epiſcopo?* R: Omnino.

6. Q. *Quis eſt effectus Ordinis Diaconatûs?*
R. Duplex: Gratia & Character.

7. Q. *A quo & quando inſtitutus eſt Diaconatus?*
R. A Chriſto Domino, quando Diſcipulis Corpus & Sangvinē diſpenſavit Joan. 13.

8. Q. *An Diaconus poſſit etiàm miniſtrare extremam unctionē ex commiſſione Parochi?*
R. Non poſſe; quia hoc illi nullo jure conceditur.

9. Q. *An Diacono liceat deffere Pixidem de uno Altari ad aliud in qua ſunt S. Particulæ?*
R. Cum Tamburino ex S. Thoma licere; quia Diaconus habet poteſtatem ſupra Corpus Chriſti in ſacris vaſis contentum.

10. Q. *Per quid confertur Diacono poteſtas diſpenſandi Euchariſtiam, ſolemniter baptizandi &c.?*
R. Per impoſitionem manus Epiſcopi, & verba ab ipſo prolata.

11. Q. *Poteſtnè Diaconus manu ſuâ porrigere Euchariſtiam Sacerdoti infirmo?*
R. Si non poſſit ob debilitatem manu ſua ſu-

sumere Eucharistiam infirmus Sacerdos, porrigat illi Diaconus.

12. Q. *Si Diaconus extrà omnem casum necessitatis sinè licentia Parochi aut Episcopi baptizaret solemniter incurreretnè aliquam pœnam?*

R. Incurreret Irregularitatem. ex Cap. 1. de Cler. non Ord. mini.

13. Q. *Quæ est propria vestis Diaconi?*

R. Est Stola à sinistro humero per pectus, & dëorsum ad latus dextrum, sub brachio dextro ducta & pendula.

14. Q. *Quibûs vestibûs debet esse indutus Diaconus, quando baptizat solemniter, aut defert Sacramentum Eucharistiæ?*

R. Aliquos judicare: quòd Superpelliceo & Stola per transversum posita, ad distinctionem à Sacerdote; aliàs evasurum illum irregularem, si Stolam gestaret sicut Sacerdos.

15. Q. *Potestnè etiam Diaconus assistere Matrimonio cum commissione Parochi?*

R. Non posse: quia Trid: Sess. 24. Cap. 1. de Reform. hoc munus committit solùm Parocho, vel alteri Sacerdoti de ipsius Parochi vel Ordinarii licentia.

16. Q. *Si Diaconus sit Parochus, poteritnè ex Officio assistere Matrimonio?*

R. In eo casu posse; quia verè erit Parochus.

17. Q. *Peccatnè mortaliter, si munus suum exercet in statu peccati mortalis?*
R. Non peccat; quia hæ actiones non sunt tàm Sacræ, sicut Sacramentales.
18. Q. *Quid habet plùs potestatis Diaconus in recitatione Breviarii quam Subdiaconus?*
R. Hoc: quòd ante Orationes dicat: Dominus vobiscum.
19. Q. *Potestnè hunc versum dicere præsente Præsbytero?*
R. Juxta Rubricas non posse, nisi de Sacerdotis licentia.
20. Q. *Quis est Minister Ordinis Diaconatûs?*
R. Est Episcopus respectu suorum Subditorum, & aliorum cum sufficienti suorũ licentia Episcoporum.
21. Q. *An Diaconus habens duo domicilia in diversis Diœcesibus, possit Subdiaconatum accipere ab uno, & Diaconatum ab altero?*
R. Posse; quia utrobiq; ordinatur à proprio Episcopo.
22. Q. *An Subdiaconus ordinatus à Papa, possit ordinari pro Diacono & Præsbytero ab Episcopo?*
R. Esto R. P. Adalbertus Tylkowski S. J. negativam teneat Exam. ad Diaconat. num. 298. Veneri tamen in Exam. Episcoporũm libr: 1. cap 12. num. 17. affirmativam tuetur, dicendo: posse cum licentia Papæ; citans plures pro sua sententia DD:

23 Q *Quid esset faciendum, si Episcopus in ipsa Ordinatione deficeret, moreretur͛; inceptâ Ordinatione ?*

R Supplendũ essetab alio Episcopo; qui inde deberet incipere, ubi mortuus cessavit

24. Q *Quid faciendum esset Diacono, si celebrans ad Altare post Consecrationem moreretur ?*

R. Supplendum esse per alium Presbyterum reliquum Missæ Sacrificium; si verò nullum in hoc loco inveniret Sacerdotē, reponat in Tabernaculo Hostiam consecratam; si verò & Tabernaculum non esset, sumat illam reverentèr, non ad complendum Sacrificium, sed ad reverentèr tractandum SS. Sacramentum.

25. Q. *Quæ ætas requiritur pro Diaconatu ?*

R. Requiritur ætas 22. annorum completorum, 23tius annus sit inceptus.

§. 3.
De Presbyteratu.

1. Q. *Quid est Presbyteratus ?*

R. Est potestas, per quam ordinatus in Presbyterum potest consecrare Corpus & Sangvinem Christi, & à peccatis Fideles absolvere.

2. Q. *Quotuplex est materia ejus ?*

R. Du-

R. Duplex: remota & proxima; Remota itidem est duplex: una est Calix cum vino, & Patena cum Hostia; altera & manus Episcopi. Proxima etiam est duplex: una traditio Calicis cum Patena; altera est impositio ultima manus Episcopi.

3. Q. *Debetnè esse tactus Physicus materiæ Presbyteratûs?*

R. Omnino Physicè tangere debet Patenam cum Hostia, & Calicem cum vino Ordinandus.

4. Q. *Quotuplex est forma Presbyteratûs?*

R. Duplex: una in traditione Calicis cum vino, & Patenæ cum Hostia, & sunt hæc verba: Accipe potestatem offerendi Sacrificium &c. altera in impositione manus Episcopi, & sunt hæc verba: Accipe Spiritum Sanctum &c. Cætera verò utì unctio manuum sunt de solemnitate Presbyteratûs, non verò de essentia.

5. Q. *Quotuplicem accipit potestatem Presbyter in sua Ordinatione?*

R. Duplicem: unam in Corpus Christi Physicum per traditionem Calicis; alterum in Corpus Christi Mysticum per impositionē manus Episcopi.

6. Q. *Quotuplex Clavis confertur Presbytero?*

R. Duplex: Clavis potestatis; & Clavis scientiæ. Prima est potestas quam habet Sacerdos ad ferendam sententiam super pœni-

nitentes, seù absolvendo, seù negando absolutionem, seù eam differendo ex justitia, cùm res ita postulaverit; *2da* est potestas quam recipit Sacerdos ad inquirendum, examinandum, & cognoscendum more Judicis ea, quæ spectant ad peccata pænitentium, antequam ferat sententiam vel absolvendo, vel retinendo, vel differendo absolutionem.

7. Q. *Quare vocatur duplex Clavis; ista potestas?*

R. Quia quemadmodum Clavis est instrumentum, quô aperitur vel clauditur janua; ita duplex est hæc potestas instar instrumenti Sacerdotibus ad aperiendam januam Cælorum pænitentibus absolvendo; vel claudendam, iis obsolutionem negando, si opus fuerit; perspectâ priùs eorum conscientia.

8. Q. *Quod est Officium Presbyteri?*

R. Præcipuũ & principale est: Missã celebrare; & â peccatis Fideles obsolvere.

9. Q. *Quæ est obligatio Presbyteri?*

R. Horas Canonicas quotidiè recitare; & castitatem perpetuò servare.

10. Q. *Quod sunt effectus Presbyteratûs?*

R. Duo: Gratia & Character.

11. Q. *Quando fuit institutus Presbyteratus?*

R. Quò ad potestatem in Corpus Christi Physicum seu verũ, fuit institutus in ul

tima

tima Cæna; Quantum verò ad poteſtatem abſolvendi fuit inſtitutus Joan: 20. dùm dixit Apoſtolis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata &c

12. Q. *Quomodo ſe gerere debent novi Sacerdotes in Ordinatione cū Epiſcopo celebrantes?*

R. Ad vitanda omnia pericula & perplexitates: *1mò*: intendant formam recitare eo meliori modo, quem intendit Eccleſia. *2dò*: nullo modo prævenire Epiſcopum in prolatione verborum Conſecrationis, ſed curent cum Eo ſimul ac ſemel proferre. *3tiò*: habeant intentionem conſecrandi eandem Hoſtiam ſi ſimul cum Epiſcopo proferant formam; aliàs proferendi verba ſaltìm materialitèr in ſignum poteſtatis ſibi conceſſæ.

13 Q. *An Preſbyteri ordinandi debeant legere Miſſam cum Epiſcopo genuflexi?*

R. Affirmativè; ita ſtatuit S. R. C. 20. 7bris 1749.

14. Q. *An teneantur inchoare cum Celebrante omnino ab initio Miſſam?*

R. Non tenentur; ſed ſufficit ſi incipiant ab oblatione Panis nempè à Suſcipe Sancte Pater &c. ita S R. C. 20 7bris 1749.

15. Q. *An debeant omnes Cruces, genuflexiones & omnes illas quas Epiſcopus facit actiones facere?*

R. Negativè; ita ſtatuit S. R. C. 20. 7bris 1749.

 16.

16. Q. *Quæ Neo Presbyteris imponitur obligatio ab ordinante eosdem Episcopo ?*

R. Tres Missas absolvendi: *1mam* de Sanctissimo Spiritu; *2dam* de Beata Virgine Maria; *3tiam* pro Defunctis; ùt orent pro Episcopo illos ordinante.

17. Q. *Quæ ætas requiritur ad suscipiendum Ordinem Presbyteratûs ?*

R. Annus 25. inchoatus; ita Conc: Trid:

18. Q. *Quis est Minister Ordinis Presbyteratûs ?*

R. Episcopus Sacerdos & consecratus.

19. Q. *Potestnè Papa delegare Ordinationem Sacerdotis ?*

R. Non posse non Episcopo, vel Episcopo non Sacerdoti, quia id nunquam legitur factum & ideo videtur non delegabile.

20. Q. *An bona fide ordinatus putans se esse baptizatum, cum non sit, Characterem recipiat & validè ordinetur ?*

R. Negativè; quia Baptismus fluminis ex Jure Divino est janua omnium Sacramentorum; ita S. Congr: Conc: apud Fagnan: in 1. ad Capu: Ne imiteris. de Constit: n. 187.

21. Q. *An suscipiens Ordinem aliquem, non prius suscepta Confirmatione, sit licitè promotus, & possit ad alios ascendere ?*

R. Negativè; quia Confirmatio ad Ordines præsupponitur, & habetur ex Conc: Trid: Sess: 23. Cap. 4.

22. Q *An Sacerdos ille qui ordinatus est solùm ad consecrandũ Panẽ & Vinũ possit validè & licitè administrare Sacramentũ Pœnitentiæ. & extremæ Unctionis ?*

R. Nequ quam; quia caret potestate remittendi peccata, seu absolvendi à peccatis, quæ potestas obtineri solet per propriam materiam & formam ordinationis, acceptâ potestate conficiendi Corpus Christi per propriam materiam & formã ordinationis.

23. Q. *Quam pœnam incurrit ille, qui præsumpserit suscipere Ordinem Sacrum sine legitima licentia. vel ante legitimam ætatem vel extra statuta tempora?*

R Incurrit suspensionem. ùt in Extravag. Pii 2.

24. Q *An furtivè ordinatu. sit irregularis ?*

R Affirmativè.

25. Q *An ordinatus per saltum sit suspensus ?*

R. Esse de factò, ita Conc: Trid: Seſſ: 23. Cap: 14 de Ref:

26 Q *An ordinatus contra prohibitionem Episcopi Ordinantis, sit Irregularis ?*

R. Omnino.

LIBER II.

Examen Confessariorum

TRACTATUS I.
de
Actibus Humanis.

§ I.

De Voluntario.

1. Voluntarium definitur à S. Thoma 1. 2. quæst: 6. art. 1. esse id: quod est à principio intrinseco cum cognitione finis. A multis Theologis Moralistis dicitur esse illud, quod procedit à voluntate ex prævia cognitione intellectiva.

2. Q. *Quotuplex est voluntarium?*
R. Multiplex: 1mò: Necessarium & Liberum. 2dò: Physicum & Morale. 3tiò: Perfectum & Imperfectum. 4tò: Directū & Indirectum. 5tò: Formale & Virtuale. 6tò: Expressum & Interpretativum.

3. Q. *Quid est Voluntarium necessarium?*
R. Est illud, quod procedit à voluntate determinata ad unum, ùt est: Amor Patriæ.

ſet, ac deberet; ſic v. g. ſubmerſio Navis dicitur Gubernatori voluntaria indirectè.

11. Q. *Quid eſt Voluntarium interpretativū?*

R. Eſt illud, quod ex ſigno aliquo externo poſitivo, vel negativo, prudentum conſiliô interpretari præſumimus; ſic v. g. qui tacet, conſentire videtur. Sic Religioſus abſente Superiore poteſt uti interpretativa licentia in rebus licitis & honeſtis.

12. Q. *Quid eſt Voluntarium expreſſum?*

R. Eſt illud, quod actu formali & expreſſo à voluntate procedit.

13. Q. *Quid eſt Voluntarium formale?*

R. Eſt illud, quod procedit à voluntate, ùt actu & exercitè influente; v. g. præſens ſcriptio, lectio.

14. Q. *Quid eſt Voluntarium virtuale, ſeu in Cauſa?*

R. Eſt, quando non in ſe, ſed ſolùm in ſua cauſa aliquid cuipiam eſt voluntarium; Ubi etſi voluntas non intendit effectum, vult tamen cauſam illius effectus; ſic v. g. rixæ blaſphemiæ, in ebrietate commiſſæ, cenſentur eſſe voluntariæ virtualiter.

Nota *1mò*: ad hoc, ùt effectus virtualiter ſeù in ſua cauſa voluntarius, cuipiam imputetur ad culpam, neceſſe eſt, ùt operans advertat periculum ſecuturi effectûs ad poſitionem illius Cauſæ; ſiquidem nihil volitum quin præcognitum.

Nota

Nota *2dò*: Ut effectus operanti sit voluntarius indirectè, & imputetur ad culpam, non Sufficit agentem talem effectum posse impedire, & non velle impedire, sed insuper requiritur, ùt teneatur & obligetur impedire, vel non ponendo causam talis effectûs, vel positam auferendo. ita S. Thomas 1. 2. q. 6. sic Gubernator, cui cura Navis est commissa, tenetur pro viribus impedire submersionem ejusdem, similiter & Prælatus peccata suorum Subditorum, per amotionem Causæ & periculi &c.

Nota *3tiò*: Effectus malus non imputatur ad culpam operanti, qui exercet actiones utiles, honestas, & necessarias, nullum exindè prævidendo periculū; ùt patet in Confessario legente lascivam materiam; Chirurgo, Medico, partes secretiores visitantibus medendi gratiâ &c.

Nota *4tò*: Peccatum commissionis & omissionis contrahitur immediatè in appositione causæ, vel impedimenti, quæ fuit in libera hominis potestate, non autèm ampliùs tempore subsequenti, quo sequitur v. g. mors alterius veneno causata, aùt omissio Sacri, vel recitationis Breviarii, si tunc revera adfuit impotentia impediendi mortem alterius, vel Sacrum audiendi.

Nota 5tò: ad incurrendas pœnas vel inhabilitates, quæ sivè Jure Ecclesiastico, sivè Civili in perpetrantes certa crimina, sunt statutæ, non sufficit sola appositio causæ alicujus criminis, sed requiritur, ut tale crimen opere externo compleatur; sic v. g qui conatur Clericum percutere, si nondum illum percussit, non incurrit Excommunicationem.

§. 2.

De Involuntario.

1. Q *Quid est Involuntarium ?*
R. Ab Aristotele dicitur esse id, quod vel vi, vel ignorantia agitur; si enim vi, est ab extrinseco, ergo non est voluntarium; si ignoratione, non est à cognitione, ergo iterùm non est voluntarium.

2. Q. *Quotuplex est Involuntariū ?*
R. Duplex: Involuntarium simpliciter, & Involuntarium secundùm quid.

3. Q *Quid est Involuntariū simpliciter ?*
R. Quando voluntas consideratis omnibus circumstantiis aliquid respuit, & non vult.

4. Q *Quid est Involuntarium secundùm quid ?*
R. Est id, quod voluntas in his circumstantiis absolutè quidem vult, quod tamen non vellet, si tales circumstantiæ abessent;

ſent; ſic Mercator ad ſalvandam vitam vult abſolutè merces in mare proiicere, quas tamen nollet abiicere, ſi vitæ periculum abeſſet.

5. Q. *Quod ſunt cauſæ Involuntarii & quæ?*
R. Quatuor: Violentia, Metus, Concupiſcentia, & Ignorantia.

6. Q. *Quid eſt Violentia?*
R. Juxta Philoſophum 3. Ethicorum cap. 1. eſt id, quod eſt à principio extrinſeco, paſſo non conferente vim.

7. Q. *Quotuplex eſt Violentia?*
R. Duplex ùt tradit Reyffens: ſimplicitèr talis; & ſecundùm quid talis. Violentia ſimpliciter talis, eſt, quæ provenit ab agente extrinſeco paſſo toto conamine & totis viribus reſiſtente. Violentia ſecundùm quid talis, eſt, quæ provenit ab agente extrinſeco paſſo, tamen non omnē poſſibilem & debitam reſiſtentiam adhibente, adeoq; potiùs virtualitèr & interpretative cooperante.

Nota. Violentia ſimplicitèr talis, facit actum ſimpliciter involuntarium; ita D. Thom: 1. 2. quæſt: 6. art: 5 dicens: Neceſſarium eſt violentiam cauſare Involuntarium, & tales actus non ſunt peccaminoſi; Ratio eſt: quia fiunt ex violentia ab agente extrinſeco contra inclinationem voluntatis nō ſolum nihil

cöope-

cöoperantis, sed etiam pro viribus resistentis; Et sic non peccat Petrus, cui à Tyranno coram Statua Jovis curvantur genua, manus cum thuribulo elevantur.

8. Q. *Quid est Metus?*

R. S. Thomas infrà quæst: 41. dicit: quod sit passio, quâ refugimus malum futurum, cui resisti non potest.

9. Q. *Quotuplex est Metus?*

R. Duplex: levis, & gravis. Metus gravis est ille, quem Vir fortis & constans prudentèr & rationabilitèr concipit, ob malum grave intentatum & certò imminens, v. g. mors, mutilatio, carcer, exilium &c. & dicitur talis metus cadens in constantem Virum. Metus levis est, qui ob leve aliquod imminens malum concipitur, ùt si quis metu pluviæ, luti, pulveris &c. die Dominico omittat Missam, & talis metus dicitur, à Juristis cadere in Virum inconstantem.

10. Q. *Quotuplex est adhuc Metus?*

R. Duplex: alius justè, alius injustè incussus. Metus justè incussus est ille, quem Persona seù Officium aliquod incutit delinquenti, ad bonum amplectendum, & malum fugiendum; Metus injustè incussus, est timor periculi ab eo, cui nullum jus competit metum incutiendi; ùt vg:

si la-

si latro mortem intentet Peregrino & minetur, nisi det ei pecunias.

Nota 1mò: Ad metum gravem duæ concurrere debent conditiones; 1ma: ùt malum quod imminet, sit grave; vg: mors, captivitas &c. 2da: ùt ejusmodi malum certò immineat.

Nota 2dò: Illa, quæ ex metu fiunt simplicitèr esse voluntaria, & involuntaria tantùm secundùm quid; ita S. Thom. 1. 2. quæst: 6 art: 6. hinc sequitur, Vota juramenta, contractus & promissiones, etiamsi ex metu naufragii, vel aliô motivô emissa fuerint, valida esse & adimpleri debere.

Nota 3tiò: Nullus metus per se loquendo quantumvis gravis excusat à peccato in Legibus naturalibus, & negativis Divinis; vg: non occides &c. quia sunt intrinsecè mala; per accidens tamen excusat à peccato in Legibus Humanis & Divinis positivis, quæ non censentur cum tanto incōmodo & rigore obligare; hinc Titius degens in Terra Hereticorum, si diebus prohibitis ex metu gravi carnes comedat; non peccat, è contrà verò Caja metu mortis fornicans, & Semplronius adorans idolum, quia fornicatio, & idololatria sunt intrinsecè mala.

11. Q. *Quid est Concupiscentia?*

R. Est passio appetitûs sensitivi prosequentis

tis bonum sensibile & delectabile; vg: amor, desiderium, spes &c.

12. Q. *Quotuplex est Concupiscentia?*

R. Duplex: antecedens & consequens. Concupiscentia antecedens, est passio, quæ naturaliter exurgens omnem voluntatis deliberationem prævenit, estq; causa ejusdem; ùt dùm quis visô Petro inimicò suô accenditur, irâ. Concupiscentia consequens, est passio quæ voluntatis arbitriô excitatur, ùt ad promptiorem seù expeditiorem operationem inserviat; vg: cùm quis deliberatè vult affici venereâ delectatione ùt promptiùs per hoc in operationem venereäm feratur, eamq; eo magìs concupiscat.

13. Q. *Concupiscentia antecedens causatnè involuntarium?*

R. Non facit quidem actum, ad quem impellit involuntarium, minuit tamen ejus voluntarium seù libertatem, consequentèr etiam virtutis meritum, aût culpæ reätum, imò interdùm omninò tollit; ità S. Thom: 1. 2 quæst: 77. art. 6 & 7.

14. Q. *Concupiscentia consequens minuitnè voluntarium?*

R. Non minuit, sed potiùs auget, consequentèr & moralem malitiam vel bonitatem actionis; ita S. Thom: c. t: art: 6.

15. Q. *Quid est Ignorantia?*

R. Est

R. Eſt privatio ſcientiæ quam quis habere poſſet ac deberet.

16. Q. *Quotuplex eſt Ignorantia?*

R. Duplex: Prima eſt ſimplicis privationis; Altera pravæ diſpoſitionis. *Prima* eſt carentia ſcientiæ in ſubjecto apto ad ſciendum pro eo tempore & ſtatu, velùti ſi homo adultus & rationis compos, neſciet ëa, quæ ſcire poteſt; *altera* eſt poſitiva deceptio, & contrarius veritati error exiſtens in Judæis, Hæreticis &c. errantibus.

17. Ignorantia dividitur in ignorantiam Juris & Facti. Ignorantia Juris eſt, cùm quis ignorat Legem vel præceptum ſuperioris aliquid præcipientis, vel prohibentis; vg: in percuſſores Clericorū & Violatores Clauſurarū, Excõmunicationē latæ Sententiæ. Ignorantia Facti eſt: ſi quis ignorat rem particularem, ex qua actio moralis veluti objecto dependet; ùt ſi quis neſciat carnē eſſe, quam comedit, vel non cogitet eſſe diem Veneris, quâ veſcitur.

18. Ignorantia dividitur in Antecedentem, Concomitantem, & Conſequentem; S. Thom: 1. 2. quæſt: 6. art: 8. Ignorantia Antecedens eſt quæ omnem actum voluntatis antecedit non tantùm explicitū, ſed etiam implicitum, adeò q: prorſus eſt inculpata, ſiquidèm cauſat involuntarium ſim-

simpliciter. Ignorantia Concomitans est, quæ se concomitantèr habet ad actum voluntatis nostræ, id est: quando ignorantia habetur de ëo, quod agitur, tamen etiamsi sciretur, nihilominus ageretur; ùt vg: si inimicum quem occidere quærebas, occidisti, existimans esse feram. Et hæc ignorantia non causat positivè Voluntarium, sed Voluntarium negativum, seù non Voluntariū. Ignorantia Consequens est, quæ consequitur voluntatem nostram implicitam vel explicitam, directam vel indirectam; & talis ignorantia est culpabilis, cùm censetur esse voluntaria.

19. Ignorantia est adhuc duplex: Vincibilis, & Invincibilis. Ignorantia Vincibilis est, quæ studiô ac diligentiâ vinci potest &c. hæc est culpabilis, si non deponatur. Ignorantia Invincibilis est, quæ nullô studiô ac diligentiâ saltim morali vinci potest, & hæc est inculpabilis, quia simpliciter non est voluntaria.

20. Ignorantia adhuc est duplex: Physica & Moralis. Ignorantia Physica est, quam homo nullâ possibili diligentiâ adhibita, repellere potest; & talem ignorantiam habet cæcus de colore. Ignorantia Moralis est, quâ homo non potest repellere per studium & diligentiam debitam juxta exigentiam & qualitatē naturæ, sic vg

Ru-

Rusticus ignorat præcepta Logicæ.

21. Ignorantia ultimàtim est Duplex: Crassa & Affectata. Ignorantia Crassa est, quæ provenit ex negligentia cognoscendi illa, quæ aliquis scire debet; vg: homo adultus præcepta Divina, Mysteria Fidei &c. Ignorantia affectata est, quæ provenit ex negligentia cognoscendi & addiscendi ea quæ scire tenetur, ùt liberiùs peccet; ùt vg: si homo guarus literarum nollet consultò discere præcepta Decalogi & Ecclesiæ ùt liberiùs peccet; aut exit studiosè de templo, quatenus non audiat denuntiationem jejunii futuro die Jovis, vel Festum celebre imminere die Veneris; ut in die jejunii libere vescatur carnibus, die autem Festo excusetur ab auditione Sacri

22. Q. *Quæ ignorantia excusat à peccato ?*

R. Sola ignorantia invincibilis tam Juris quàm Facti; Ratio est: quia juxta S. Augustinum & omnes Doctores, non est peccatum, nisi voluntarium, ignorantia autem invincibilis facit actum involuntarium; ùt docet Aristot 3. Ethic.

(———)

§. 3.

§ 3.

De Moralitate Actuum Humanorum.

Duplices sunt actus cujuslibet hominis; alii sunt Humani, alii Hominis.

1. Q. *Quid est humanus?*
R. Est actus voluntatis liber, qui procedit ab homine cum prævia cognitione objecti; ùt vg: exercere virtutes committere peccata.

2. Q. *Quid est actus hominis?*
R. Est actus voluntatis liber sine omni advertentia rationis elicitùs; vg: fricare barbam nutrire comam.

×3. Q. *Quotuplex est actus voluntatis?*
R. Duplex: elicitus & imperatus; Actus elicit. dicuntur ii, qui ab ipsamet voluntate eliciuntur; vg: actus volitionis & nolitionis. Imperati autem dicuntur ii, qui ex imperio ipsius voluntatis producuntur; vg: progressus in Ecclesiam, ambulatio in forum.

×4. Q. *Quotuplex est actus humanus?*
R. Duplex: internus & externus; Actus internus sunt actus eliciti à voluntate hominis, cum plena advertentia rationis; vg: intentio occidendi hominem. Actus externus est effectus voluntatis opere externo completus; ùt vg: actualis occisio hominis.

5. Q.

x5. Q. *Quotuplex est adhuc actus humanus?*

R. Duplex: moraliter bonus, & moraliter malus. Actus humanus moraliter bonus, est actus conformis rectæ rationi & regulis morum; vg: amor DEI, actus Fidei &c. Actus humanus moraliter malus, est actus difformis rectæ rationi & regulis morum; ùt vg: odium DEI, occisio hominis &c.

x6. Q. *Quotuplex est regula morum?*

R. Duplex: Remota & proxima. Regula remota est Lex extrinseca præscribens nobis quid secundùm rectam rationem agendum sit, vel fugiendum. Regula proxima seù intrinseca, est ipsummet dictamen rectæ rationis seu conscientiæ nostræ, proximè nobis dictans, quid sit conforme vel difforme Legi extrinsecæ, & quid faciendum ùt bonum, quidvè omittendum ùt malum.

x7. Q. *Quotuplex est bonitas actuum humanorum?*

R. Duplex: naturalis & moralis. Bonitas naturalis consistit in integritate seù aggregatione omnium eorū, quæ in entitate actùs naturaliter requiruntur; vg: cantus elegans ac juxta regulas Musices factus, dicitur naturaliter bonus, etsi forte lascivus. Bonitas moralis consistit in integritate seu aggregatione eorum omnium, quæ

quæ actui humano secundùm rectam rationē convenire debent.

8. E contra verò Malitia moralis consistit in defectu omnium, vel etiam unius eorum, quæ actui humano secundùm rectam rationem convenire debent

9 Q *Undè desumant actus humani suam bonitatem, vel malitiam moralem?*

R. Ab objecto, fine, & circumstantiis.

10 Q *Quotuplex est bonum?*

R Triplex: delectabile, utile, & honestum.

11. Q. *Quid est delectabile?*

R. Est illud quod operanti affert delectabilitatem; ùt vg: cibus & potus.

12 Q. *Quid est bonum utile?*

R Est illud, quod utilitatem adfert agenti; ùt vg: divitiæ opes.

13. Q *Quid est bonum honestum?*

R Est illud, quod est secundùm dictamen rectæ rationis proponentis conscientiæ nostræ quid sit conforme Legi Divinæ, humanæ, consequenter prosequens, quid faciendum, quidvè omittendum.

14 Q *Actus humani boni suntnè meritorii?*

R. Sine omni dubio.

15 Q *Quid est meritum?*

R Est actus laudabilis exigens aliquomodo collationem præmii.

16. Meritum est duplex: de condigno, & de con-

congruo. Meritum de condigno est illud, quod habet condignitatem & æqualitatem cum præmio; & tale meritum elicitur ab homine justo; Meritum de congruo dicitur illud, cui licet desit talis condignitas & æqualitas, adhuc tamen congruum est, ut ex liberalitate remunerantis, conferatur ipsi aliquod præmiũ.

17. Q. *Quæ requiruntur ad meritum de condigno?*

R. Ex parte DEI requiritur promissio de dando præmio; ex parte verò merentis, status viæ & gratiæ; ex parte tandem actûs meritorii, ut sit liber, honestus, & supernaturalis.

18. Sancti in Cælis & Animæ in Purgatorio nihil ampliùs mereri possunt, nec damnati in inferno demereri, cum sint extra statum viæ.

19. Per statum viæ, intelligitur vita præsens, secundùm D. Paulum dicentem: Non habemus hic manentem Civitatem, sed futuram inquirimus.

20. Per statum gratiæ, intelligitur status gratiæ sanctificantis, per quam homo fit amicus DEI, & dignus vitâ æternâ.

Nota 1mò: Opera nostra sunt triplicia; alia sunt mortua, alia mortificata, alia viva. Opera bona viva, sunt opera moraliter bona in statu gratiæ facta, & quæ per

nullum subsequens mortale peccatū mortificantur; Opera mortificata, sunt opera moralitèr bona, quæ quidem fuerunt facta in statu gratiæ, sed per peccatum mortale subsequens mortificantur, seù impediuntur, ne habeant suum valorē promerendi vitam æternam, stante peccatô mortali; Opera bona mortua dicuntur ëa, quæ fiunt in statu peccati mortalis, & talia nunquam reviviscunt ad meritum vitæ æternæ.

Nota 2dò: Opera bona in statu peccati mortalis facta, non sunt penitùs inutilia, nec idcirco ab hominibus intermittenda; ità omnes Doctores. Quia per talia bona opera meremur saltim de congruo gratias supernaturales; vg: agendi pænitentiam de peccatis, resistendi tentationibus &c.

§. 4.
De Conscientia, ùt regula actuum humanorum.

1. Q. *Quid est Conscientia?*
R. Est dictamen intellectûs practici, dictans: quod hic & nunc sit agendum, vel omittendum.

2. Q. *Quid est Synderesis?*
R. Est habitus primorum principiorum moralium & practicorum, dictans in genere bo-

bonum esse faciendum, & malum fugiendum.

3. Q. *Quo differt Conscientia à Synderesi?*
R. Synderesis proponit principia communia generica & universalissima; jam verò Conscientia proponit aliquid faciendum vel fugiendum hic & nunc in particulari; vg: Missa est hodie audienda, quia festum est hodie.

4. Q. *Quotuplex est Conscientia?*
R. Quintuplex: Recta, Erronea, Dubia, Probabilis, Scrupulosa.

5. Q. *Quid est Conscientia Recta, seù certa, & vera?*
R. Est dictamen verum intellectûs, dictans absq; ulla formidine de opposito, quod faciendum est, esse bonum vel malum.

6. Q. *Quomodo obligat Conscientia recta hominem, ùt illam sequatur?*
R. Obligat sub peccato, nisi aliquid proponatur faciendum aut omittendum sub consilio; quia sicuti non obligamur sub peccato adimplenda omnia consilia; ita pariter non tenemur sub peccato sequi Conscientiam illa nobis proponentem.

7. Q. *Quid est Conscientia Erronea?*
R. Est illa quæ dictat aliquid faciendum, vel non faciendum, quod revera tale non est, absq; fundamento probabili.

8. Q. *Quotuplex est Conscientia Erronea?*

R.

R. Duplex: vincibilis & invincibilis. Conscientia erronea vincibilis est, cujus error adhibitâ diligentiâ morali vitari potuit ac debuit. Conscientia erronea invincibilis est, cujus error adhibitâ diligentiâ morali vinci ac superari non potest; proindè nec voluntarius est, nec imputatur ad culpam. Talis fuit in Jacob Patriarcha accedente ad Liam. Gen. 29.

9. Q. *Quomodo obligat utraq; hæc Conscientia?*

R. Invincibilis obligat positivè sub peccato, ût illam sequamur; Conscientia erronea vincibilis obligat negativè, ne videlicet contra eam operemur; Non debemus tamen illam sequi, sed adhibitâ diligentiâ in cognoscendo errore deponenda est; ita comm: DD.

10. Q. *Quomodo Conscientia vincibiliter erronea sit deponenda?*

R. Investigando diligentius veritatẽ, tùm etiam adhibendo consilium prudentioris.

11. Q. *Quid est Conscientia dubia?*

R. Est illa, quæ neutri parti determinatum præstat assensum, sed anceps manet inter utramq, an hoc sit licitum? vel non licitum? peccatum? nec ne?

12. Q. *Quotuplex est Dubium?*

R. Duplex: Practicum & Speculativum. Speculativum dicitur illud, quandò dubitatur

tatur nudè & præcisè de veritate aliqua; vg: an, si Adam non peccâsset, Christus venisset; Practicum est, si dubitatur de actione, ejusq; honestate, in particulari hic & nunc exercenda; vg: an sit obligatio hodie audire Missam.

13. Dubium practicum subdividitur in generale & particulare. Generale est, quando dubitatur de actione generaliter sumpta, ùt vg: an licet laborare leviter die Festo; Particulare est, si dubitatur de hac in singulari actione; vg: an liceat secare ligna in die Festo, & tale dubium vocatur practicè practicum.

14. Q. *Quotuplex est adhuc Conscientia dubia?*

R. Duplex: positivè dubia, & negativè dubia. Positivè dubia est, quando pro utraq; parte occurrunt rationes æquè probabiles, adeò, ùt intellectus in neutram partem judicium suum inclinet; Negativè dubia est, quando quis pro neutra parte habet rationes probabiles, & sic remanet suspensus, neq; affirmando, neq; negando quod talis actus sit licitus aut illicitus.

Nota 1mò: Cum Conscientia practice dubia semper illicitum est operari; ratio est: quia cum tali Conscientia operans manifestè seipsum exponit periculo peccandi: operans autèm cum tali Conscientia practicè du-

dubia, peccat peccato ejusdem speciei & rationis, de qua dubitat.

Nota 2do: Cum Conscientia autem Speculative dubia operari non semper est peccatum; sic vg: Sacerdos infirmus dubitans, utrum liceat ipsi abstinere a recitatione Breviarii, accedente consiliô Medici vel Confessarii, practicè est certus id sibi licere

15. Q. *Quid est Conscientia Probabilis?*

R. Est judicium practicum intellectûs, quô quis ex gravi licet, sed non penitus certo fundamento adheret uni parti determinatè, cum formidine tamen de opposito; ita in re communis.

16. Q. *Quid est opinio probabilis?*

R. Est illa quæ gravi nititur fundamento licet non penitùs certo, simulq; nullam contra se habet rationem convincentem; ita communiùs DD.

17. Q. *Quotuplex est Opinio probabilis?*

R. Duplex: intrinseca, & extrinseca Opinio probabilis intrinseca est illa, cujus probabilitas habetur ex ratione vel natura rei, aùt ejus causis vel circumstantiis; Extrinseca autem est illa, quæ habetur ab authoritate sivè gravitate & prudentia Doctorum illam tenentium.

18. Q. *Quotuplex est adhuc opinio?*

R. Triplex: magis probabilis, minùs probabi-

babilis, & tuta, quæ firmiori fulcitur fundamento, efficacioribusq; firmatur rationibus; Minùs probabilis est, quæ, licet habeat fundamentum ad probabilitatem sufficiens, non tamen tam firmum, ut altera opinio. Tuta autem opinio est, in qua minùs peccandi periculum reperitur, & potest accidere, quod opinio aliqua sit tutior, non tamen probabilior, vel probabilis.

19. Opinio probabilis est adhuc duplex: *1ma* est circa honestatem actûs; *2da* circa materiam seu valorē actûs *1ma* est illa, per quam quæritur, utrum actio illa sit licita vel illicita? vg: utrùm die Festo sit pictura licita? *2da* est, in qua quæritur de valore actûs; vg: utrum aqua rosacea sit sufficiens ad baptizandum?

Nota *1mò*: In concursu duarum opinionum de honestate objectiva actionis, non est licitum sequi minùs probabilem & minus tutā, relictâ probabiliori; ita Billuart &c.

Nota *2dò*: Non peccat, qui in praxi sequitur opinionem probabilem faventem suæ libertati, relictâ tutiore minùs probabili, quæ favet Legi; ita DD communiter contra Cajet: &c. quod citat Mazotta Tract: 1. Cap. 2.

Nota *3tiò*: Confessarius tenetur se conformare quô ad Judicium Sacramentale opinioni

pro-

probabili pænitentis, si opinio ejus verè sit probabilis. & à Doctoribus defensa pro verè probabili; ut vg: de circumstantiis merè aggravantibus non necessariò confitendis; relictóq; judiciô propriô beneficium absolutionis eidem impendere debet; ità R. P. Edmundus Voit S. J. part. 1. cap: 3 § 3 num. 140

Nota 4tò: Sacerdos ubi agitur de valore Sacramenti, non debet sequi opinionem probabilem, relictâ tutiore; proindè tres Regulæ à Ministris Sacramentorum sunt observandæ; 1ma: si possibilitas adest, via tutissima est eligenda; 2da: si non adest possibilitas viæ tutissimæ, proxima est tenenda; 3tia: cessante impossibilitate causè est supplendum quod impossibilitas prohibebat; undè Baptismus vg: in materia vel forma dubia collatus, denuò sub conditione est iterandus.

Nota 5tò: Medicus in curando infirmo debet sequi sententias certas, si adsunt, relictis incertis ac dubiis Judex tenetur judicare secundùm sententiam; quæ probabilior est, Juriq; conformior Advocatus potest suscipere Patrocinium Causæ probabilis.

20 Q. *Quid est Conscientia Scrupulosa?*

R. Est inanis apprehensio ex frivolis rationibus orta, quâ quis suspicatur esse peccatum, ubi non est.

21\. Q. *Quod sunt. & quæ causæ scrupulorū ?*

R. Octo: 1mò: ignorantia, qui enim sunt ignorantes, quibusvis facilè moventur ac decipiuntur. 2. Cerebri vel imaginationis debilitas 3 Complexio frigida & melancholica. 4 Immoderatus fervor 5. nimius timor servilis. 6 Conversatio cum Scrupulosis. 7. Tentatio diabolica. 8. Permissio Divina.

22\. Q. *An licitum sit operari contrà Conscientiam scrupulosam ?*

R. Non tantùm licitum, sed etiam aliquando reluctari debere eidem.

23\. Q *Quæ est differentia inter scrupulosum pœnitentem & timoratum ?*

R. Secundùm Marchantium inter alia discrimina hoc esse speciale, quia timorati sunt quieti in mente, scrupulosi verò in constantes; timorati facilè pertinaciam deponunt illi vero difficile.

TRACTATUS II.
De Legibus.

§. 1.
De natura Legum.

1\. Q *Quid est Lex?*

R. Est recta agendorumratio, à publica potestate Communitati denuntiata, cum volun-

luntate eam perpetuò obligandi ad aliquid agendum vel omittendum.

2. Q. *Quotuplex eſt Lex?*

R. Duplex: naturalis & poſitiva. Naturalis eſt dictamen naturale rationis, per quod nobis impreſſum naturaliter cognoſcimus evidentèr recta facienda, turpia autem vitanda; Poſitiva autem eſt; quæ ex libera DEI vel hominis pendet voluntate.

3. Q. *Quotuplex eſt Lex poſitiva?*

R. Duplex: Divina & Humana. Lex poſitiva Divina eſt, quæ à DEO ter optimo maximo in tempore lata & condita eſt, & hæc eſt iterum duplex: vetus, & nova; Lex vetus eſt, quam DEUS ipſe condidit pro tempore veteris Teſtamenti; ùt Lex Circũciſionis Agni Paſchalis &c. Lex nova ſeu Evangelica eſt, quam Chriſtus Dominus inſtituit, ac in novo Teſtamento ſervari mandavit; Lex verò poſitiva Humana eſt illa, quæ immediatè fertur ab Homine; hæc verò eſt duplex: Eccleſiaſtica, & Civilis; Lex Eccleſiaſtica eſt, quæ lata eſt à Summis Pontificibus, & Conciliis, quæ etiàm Canon ſeù Jus Canonicum nuncupatur; Lex Civilis eſt, quæ lata eſt ab Imperatoribus, Regibus, & Principibus.

4. Q. *Ad rationem Legis, ùt ſit valida, quæ requiruntur?*

R.

R. Sequentia: *1mò*: Lex ùt ſit juſta, honeſta, poſſibilis; *2dò*: ùt ordinetur ad bonum commune. *3tiò*: ùt ſit lata à Superiore cum voluntate perpetua obligandi inferiores; *4tò*: ùt ſit promulgata. Promulgatio autem requiritur ad Legem ùt conditio, ſinè qua non; ſecus verò acceptatio Legis.

5. Q. *Quo differt Lex à Præcepto?*

R. Quia Lex datur Communitati; Præceptum Perſonis particularibus; *2dò*: Quia præceptũ poteſt ferri à quocunq; Superiore, Lex verò non niſi. ab illo, qui à DEO vel Republica ſupræmam habet poteſtatem. *3tiò*: Quia præceptum ceſſat morte vel amotione præcipientis, non autem Lex, Legislatore mortuo. Ferro Præceptum affirmativum obligat ſemper, ſed non pro ſemper; vg: honora Patrem. Præceptum verò negativum obligat ſemper pro ſemper, vg: non mæchaberis, non occides.

6. Q. *Quotuplicia erant præcepta veteris Legis?*

R. Triplicia: alia Moralia; alia Cæremonialia; alia Judicialia. Moralia erant ëa, quæ ad morũ diſciplinam ſpectabant; vg: non occides &c. Cæremonialia erant, quæ ad cultum DEI pertinebant; vg: Circumciſio, eſus Agni Paſchalis. Judicialia erant, quibus

bus constituebatur rectus ordo populi, tùm inter se, tum quò ad Communitatem, atq; in exercendi judiciis observandus.

Nota 1mò: Lex vetus seù præcepta veteris Legis per se loquendo obligabat solum Judæos; 2dò: Obligatio Legis veteris introductâ Lege Evangelicâ cessavit quò ad Cæremonialia, non autem quò ad Moralia, quæ non quidem vi veteris Legis, sed quatenus sunt Juris naturalis aùt in Lege Evangelica per Christum Dominum denuò renovata obligant, & sunt præcepta Decalogi; 3tiò: Circũcisio & alia Cæremonialia veteris Legis, defactò in Lege Evangelica non solûm obligare desierunt, sed insuper eorũ observatio est prohibita, illicita ac mortifera.

Nota 2dò: Lex Evangelica à Christo Domino condita est, & lata pro toto Mundo, ad quam omnes obligantur non solum Judæi, sed etiam Gentiles vg: ad suscipiendum Baptismum. &c.

7. Q. *Quò tempore cæpit Lex Evangelica obligare?*

R. A promulgatione facta Jerosolimis die Pentecostes.

8. Q. *Quotuplex est potestas Legislatoria?*

R. Duplex: alia Civilis, alia Ecclesiastica. Differunt inter se 1mò; ratione originis; quia

quia Ecclesiastica immediatè provenit à DEO; Civilis verò ab hominibus. 2dò: ratione objecti & finis, quia Ecclesiastica directè versatur circa res Spirituales ad salutem animarum & consequendam vitam eternam ordinatas: Civilis verò potestas per se ac directè respicit commoditatem, & tranquillam gubernationem Reipublicæ; quamvis per accidens etiam salutem Animarum respicere possit, inquantùm vitia prohibet ac punit.

§. 2.

De effectibus Legis.

1. Q. *An omnis Lex obligat in Conscientia?*
R. Tam Ecclesiastica, quàm Civilis Lex obligat coram DEO sub peccato, si Legislator habuit legitimam potestatem & voluntatem suos Subditos obligandi, ùt patet ex illo textu D. Pauli ad Rom 13. Qui potestati resistit, DEI ordinationi resistit, qui autem resistunt, sibi ipsis damnationem acquirunt.

2. Lex humana duplex est: moralis & pænalis. Lex moralis est, quæ solùm mores dirigit, obligando ad aliquem actum eliciendum, vel omittendum, nullam trasgressoribus pænam imponendo; Lex pænalis est illa,

quæ

quâ aliquid præcipitur vel prohibetur ſub certa pæna transgreſſoribus infligenda; & hæc pæna poteſt eſſe multiplex; *1mò*: Spiritualis, ùt Excommunicatio, Suſpenſio &c. *2dò*: Temporalis, ùt: Confiſcatio Bonorum; *3tiò*: Corporalis, ùt caſtigatio, flagellatio.

3. Lex pænalis dividitur: in merè pænalem & mixtam; merè pænalis eſt illa, quæ non obligat ad culpam, ſed solùm ad pænam; mixta verò eſt, quæ ad aliquem actum obligat ſub culpa & pæna.

4. Q. *Quotuplex eſt pæna ?*

R. Duplex: latæ, & ferendæ ſententiæ. Pæna latæ ſententiæ eſt illa, quæ poſitô tali delictô ſtatìm vi Legis irrogatur; vg: ſi in Lege ſcriptum ſit: ſi quis tale delictum commiſerit, ſit ipsô factô excommunicatus; Pæna ferendæ ſententiæ dicitur illa, quam Legislator comminatur delinquenti, nondùm autem imponit, ſed primùm per ſententiam Judicis imponendam ſtatuit; ùt vg: ſi dicatur: qui tale delictū commiſerit, privetur Officio, excommunicetur &c.

5. Q. *Poteſtnè Eccleſia præcipere actus internos ?*

R. Cùm Eccleſia non cognoſcat actus internos, ac eos conſequenter judicare non poteſt; hinc reſpondetur Eccleſiam non

poſ

posse præcipere actus internos directè, bene verò indirectè & concomitanter, si videlicet actus interni cum externis habeant connexionem; ùt: devota recitatio Horarum Canonicarum, attenta Missæ auditio, debita intentio in administrandis Sacramentis &c.

6. Q. *Potestnè Lex humana vg: Ecclesiastica obligare cum aperto vitæ periculo?*

R. Si moraliter est necessaria, cedatq; ad publicum bonum conservandum, potest Legislator obligare subditos cum periculo vitæ; ùt vg: Parochus tempore pestis ex præcepto Episcopi tenetur administrare Sacramenta infirmis.

§. 3.

De subiecto Legis.

1. Q. *Quinam subijciuntur Legibus?*

R. Ji omnes, qui ratione utuntur, & potestati Legislativæ subduntur.

2. Q. *Legislator teneturnè obedire suis Legibus?*

R. Non tenetur quo ad vim coactivam; quia nemo cogi potest à seipso. obligatur autem Legislator supremus & absolutus, quo ad vim directivam, quando Leges respiciunt materiam communem, &

accomodatam subditis & Legislatori, ita S. Thom: quæst: 96 art: 5 ad 3.

3. Q. *An supremi Legislatoris sæcularis vg: Imperatoris, Regis Conjux, teneatur Legibus obedire?*

R. Licet Legibus sui Conjugis subdita sit Imperatrix vel Regina, tamen ex speciali Privilegio eximitur; L. Principis ff: de Legibus

4. Q. *Qui tenentur Legibus Ecclesiasticis?*

R. Omnes non tantùm fideles in toto Orbe, sed etiam Hæretici; quia per baptismum ingressi sunt Ecclesiam, suntq; membra ejus.

5. Q. *Judæi, Saraceni, Pagani, liganturnè Legibus Pontificiis?*

R. Non: quia non sunt membra Ecclesiæ per baptismum effecta; stringuntur autem Legibus Divinis & Naturalibus, cùm DEO & Naturæ subiiciantur; ita Bonacina & Wigant: Tract: 6 ex 5. num 85

6. Q. *An pueri, ebrii, & amentes teneantur Legibus Pontificiis?*

R. Pueri ante usum rationis perfectum non tenentur Legibus Pontificiis. Ebrii verò & amentes licet afficiantur Legibus Ecclesiasticis, tamen excusantur à transgressione earum, cum careant in tali casu requisitis ad peccatum necessariis, ex quorum defectu rei, & transgressores esse non possunt.

7.

7. Q. *Advenæ, Peregrini, & vagi tenenturnè Legibus locorum?*

R. Quamvis multi DD. probabiliter teneant Peregrinos & Advenas non adstringi particularibus legibus, & consvetudinibus locorum per quæ transeunt, vel in quibus brevi duntaxat tempore permodum hospitii morantur, cessante tamen scandalô, & quando eæ non obligant in proprio suo domicilio, prout sub datis limitationibus docet Sanchez lib: 3. de matrim: disp: 28. Laym: lib: 1. Tract: 4. cap: 12. num 4. Nihilominus opposita sententia, quæ ejusmodi obligationem admittit, est communior, simulq; probabilior. eamq; tenet Mastrius Disp: 2. Theologiæ Moral: num. 119. citans quàm plures alios. quod sequentes versus demonstrant: Cum fueris Romæ Romano vivito more. Cùm fueris alibi, vivito sicut ibi. Iidem Advenæ & Peregrini quo ad contractus obligantur Legibus locorum, per quæ transeunt, atq; ibidem contrahunt; ita Flavianus Ricci à Cimbria tract: 2. distinc. 3. quæst: 3. num. 23.

Vagi quoq; tenentur observare Leges loci illius, ubi diversantur ità Peri. num. 376. Mazotta S. J. Tom: 1. cap: 3. de legibus.

8. Q. *An Ecclesiastici teneantur servare Leges Civiles?*

R. Tenentur servare quo ad vim directivã, sin non sint læsivæ Immunitatis Ecclesiasticæ; ita Communiter DD. cum Svarez, Tolet Vasquez & aliis.

9. Q. *An subditi existentes extra Territoriũ teneantur Legibus sui Principis?*

R. Non tenentur servare Leges suæ Patriæ, undè discesserunt, & quò brevi sunt redituri; ita Mazotta Tom: 1. tract. 1. cap 4. de legibus citans Dianam & alios.

Nota *1mò*: Ut præceptum adimpleatur, requiritur ad minimum intentio faciendi opus quod præcipitur; sic vg: ùt quis satisfaciat præcepto Divini Officii persolvendi, requiritur intentio recitandi, seu orandi Horas Canonicas, non autem studendi, vel addiscendi eas,

Nota *2dò*: Potest quandoq; adimpleri præceptum per actum ex aliqua circumstantia malum; sic vg: qui jejunat ob vanam gloriam in Vigilia, satisfacit præcepto jejunii Ecclesiastici, esto circumstantia vitiet jejunium.

Nota *3tiò*: Potest etiam uno actu pluribus præceptis satisfieri vg: jejunándi vi voti & præcepti occurrente tunc die Veneris Vigiliâ.

Nota *4tò*: Potest quis eodem tempore per diversos actus implere plura præcepta,

quan-

quando unus actus non impedit alium; ita Svarez Dis. 38. sect: 6. num. 5. Reifen. citans alios.

§. 4.

De impotentia Legem implendi.

1. Q. *Quænam excusant à transgressione legis vel præcepti?*
R. Quatuor potissimum causæ excusant, videlicet: Ignorantia, Metus, Impotentia, & Dispensatio. Sed quia de Ignorantia & Metu in antecedenti tractatu dictũ est, nunc tantùm superest de Impotentia & Dispensatione pauca differere.

2. Q. *Quotuplex est Impotentia?*
R. Duplex: Physica & Moralis. Impotentia Physica est ea, quando quis opus lege præceptum nullo modo exequi potest, vg: detentus in carcere habet physicam impotentiam audiendi Missam. Impotentia Moralis illa est, quando quis absolutè quidem potest implere legem, non tamen absq; gravi incommodo; vg: dum quis Die Festo non potest interesse Missæ absq; periculo gravis damni proprii, vel alieni, morbi, vel infamiæ.

Nota *imò*: Utraq; impotentia excusat à legis transgressione, seù à peccato. Ratio est: quia

quia ad impossibile nemo obligatur. Est communis.

Nota 2dò Qui non potest totum præceptum implere, tenetur eam partem, quam potest, si ea sit notabilis, & censetur intenta à Superiore juxta axioma: Qui non potest totum quod debet, servet quod potest. Sic vg: veniens Die Festo audire Missam ante Præfationem, tenetur reliquum audire, si non fuerit alia Missa. Similiter laborans die Festo ad Vesperas, tenetur reliquo diei spatio abstinere ab opere servili.

3. Q. *Quid est Dispensatio?*

R. Est Juris Communis relaxatio facta ab eo, qui potestatem habet relaxandi.

4. Q. *Quotuplex est Dispensatio?*

R. Duplex: Totalis & Partialis. Dispensatio totalis est, quando tota legis obligatio relaxatur; vg: dum quis in Lege dispensatur tam quo ad culpam, quàm quo ad pænam. Dispensatio autem partialis est, quando obligatio Legis solum ex parte relaxatur, vel solùm ad culpã, vel solum ad pænam.

5. Q. *Quotuplex est adhuc Dispensatio?*

R. Duplex: Directa seu immediata, & indirecta seu mediata. Dispensatio directa seu immediata est, quam ipse Legislator impertit Subditis. Indirecta seu mediata

est

est illa, quam Legislator impertit alteri vg: Confessario dans facultatem dispensandi circa suam Personam.

6. Q. *Quotuplex est adhuc Dispensatio ?*

R. Duplex: Tacita, & Expressa. Expressa est, quæ manifestatur signis evidentibus aut verbis. Tacita Dispensatio est, quæ ex obscurioribus signis, puta factô, vel actione aliqua, habentis potestatem dispensandi colligitur; ùt vg: si quis Prælatus subdito irregulari det literas dimissorias ad Ordines suscipiendos, vel Confessionibus excipiendis eum exponat.

7. Q. *Quis habet potestatem dispensandi in Lege ?*

R. Omnis Legislator potest in Lege à se lata dispensare; ita comm: DD DEUS potest dispensare in sua Lege positiva vg: in Lege Baptismi, Pænitentiæ &c. non verò in Lege naturali, quia hæc est essentialiter immutabilis. Pontifex directè dispensare potest in omni Jure Pontificio, Conciliorum Generalium, imò etiam in Legibus Apostolicis humanis; vg: in Jejunio Quadragesimali, in observatione Dominicæ. A fortiori autem dispensare potest in omnibus Legibus Prælatorum sibi subditorum. Episcopus dispensare potest in Legibus à se latis, suorum Antecessorum, Synodo Diæcesana. Item Im-

peratores, Reges. Principes & Duces in Legibus à se latis dispensare possunt.

8. Q. *Utrum valeat Dispensatio data sine justa Causa?*

R. Data à Legislatore est valida, sed illicita. Data verò ab Iferiore nec valida nec licita, cùm inferior nequeat dispensare in lege Superioris,

9. Q. *An cessat Dispensatio morte concedentis?*

R. Non cessat; quia gratia non expirat morte concedentis; ità communiter DD.

10. Q. *Quæ sunt Causæ justæ dispensandi in Lege?*

R. Necessitas, Utilitas, & Pietas ità Sylvester.

11. Q. *Quot modis Leges revocentur?*

R. Tribus potissimùm: Abrogatione, Derogatione. & Irritatione.

12. Q. *Quid est Abrogatio Legis?*

R. Est totalis cassatio Legis.

13. Q. *Quid est Derogatio Legis?*

R. Est partialis cassatio Legis; dùm vg: Legislator unum articulum, vel alterum Legis mutat, aut á generali Constitutione cértos casus speciales excipit.

14. Q. *Quid est Irritatio Legis?*

R. Est Declaratio facta per Superiorem, quod Lex ab inferiori potestate lata nullius sit roboris; ùt vg: dum Leges latæ ab Episcopo authoritate Papæ irritantur,

&

& nullius roboris esse declarantur.

15. Q. *An & quomodo Leges per contrariam consuetudinem cessant obligare?*

R. Lex humana per consvetudinem contrariam, dummodò sit ea rationabilis, ac legitimè præscripta potest tolli; non verò Lex Divina & Naturalis, quia hæc per nullam consvetudinem tolli potest.

16. Q. *Quid est Consvetudo?*

R. Est Jus quoddam moribus constitutum, quod pro Lege suscipitur.

17. Q. *Quotuplex est Consvetudo:*

R. Triplex: præter Legem, secundùm Legem, contrà Legem. Consvetudo præter Legem, quæ juris constitutiva dicitur, est illa, quæ reperitur in Casibus à jure non decisis. Consvetudo secundùm Legem est, quæ Legem jam præexistentem supponit, eamq; vel deducit in usum, vel si ambigua est, interpretatur. Consvetudo contra Legem, seu desvetudo est illa, qua Lex vel Usu nunquam recepta fuit, vel jam recepta Usu contrario denuo tollitur & abrogatur.

Nota. Ad Consvetudinem contra Legem inducendam requiritur Decennium.

**** ****

TRA-

TRACTATUS III.
De Peccatis.
§. I.
De Natura & divisione Peccatorum.

1. Q *Quid est Peccatum?*
R. Juxta S. Thom: quæst: 71. art: 6. Est libera transgressio Legis æternæ DEI. Juxta verò S. Augustinum Lib: 22. contra Faustum cap: 27. Peccatum definitur esse dictum, factum vel concupitum contra legem æternam DEI.

2. Q *Quotuplex est Peccatum?*
R. Juxta S. Thom: 1. 2. q. 71. a. 1. & 2. est triplex; Naturæ, Artis, & Moris, hic tantum agemus de peccato moris.

3. Peccatum ut sic dividitur in Originale, & Personale. Originale est, quod per originem sivè generationem ab Adamo in posteros transfunditur.. Personale verò est, quod propriâ peccantis voluntate committitur.

4. Dividitur 3tiò Peccatum in Actuale, & Habituale. Actuale peccatum est, actus malus difformis Regulis morum. Habituale verò, est ipsa macula à peccato actuali præterito in anima relicta.

5. Dividitur 4tò in Mortale & Veniale. Mortale

tale peccatum eſt, quod mortem infert animæ. ſcilicet privationem Gratiæ & Charitatis, ac inſuper inducit reatum pænæ æternæ. Veniale autem eſt, quod diminuit ſolum fervorem Charitatis & nonniſi pænæ temporalis reatū inducit.

6. Dividitur 5tò in Peccatum Commiſſionis & omiſſionis. Peccatum Commiſſionis eſt, actus poſitivus præcepto contrarius vg: occidendo hominem. Peccatum verô Omiſſionis eſt voluntaria actûs præcepti omiſſio vg: non audiendo die Feſto Miſſam.

7. Dividitur 6tò in Peccatum Carnale & Spirituale. Peccata Carnalia ſunt, quæ in delectatione carnali perſiciuntur; ùt: Gula, Luxuria. Spiritualia, quæ in delectatione ſpirituali, ſive mentali conſiſtunt; vg: Superbia, Invidia, Ira. &c.

8. Dividitur 7mò juxta S. Thom: 1. 2. quæſt: 72. a. 7. in peccatum Cordis, Oris, & Operis. Nam imprimis peccatum concipitur cogitatione, poſtea manifeſtatur ore, demum completur opere.

9. Dividitur 8vò in peccatum contrà DEUM, Proximum, & Seipſum. Peccata contra DEUM ſunt; vg: peccata contra virtutes Theologicas; ùt Blaſphemia, Perjurium, Idololatria &c. Peccata quæ committuntur in Seipſum ſunt Luxura, Gula, Suicidium.

cidium. Mutilatio &c. Peccata contra Proximum sunt pecca injustitiæ & Scandali.

10. Dviditur 9nò Peccatum in proprium & alienum. Peccatum proprium est actus malus ipsius peccantis. Alienum verò est actus quidem alterius suppositi, nobis tamen imputatur ratione Consilii, Svasionis, Conniventiæ &c.

11. Dividitur 10mò Peccatum ratione diversæ radicis, in peccatum ex infirmitate, ignorantia, & malitia. Peccata infirmitatis sunt, quæ ex gravi tentatione proveniunt; sic Petrus peccavit ex timore negando Christum. Peccata Ignorantiæ sunt, quæ non sciuntur esse peccata; sic Paulus peccavit persequendo Ecclesiam DEI, ut de seipso testatur 1. Timot. 1. Peccata verò Malitiæ sunt, quæ scienter & volenter committuntur; sic peccavit Judas tradendo Christum, in qua traditione alia adhuc intervenerant peccata; nimirum peccatum infidelitatis, avaritiæ, desperationis, Deicidium, Sacrilegium &c.

12. Q. *Quotuplex est Peccatum Mortale?*

R. Duplex: Ex genere suo, & ex accidenti. Peccatum mortale ex genere suo est illud, quod fit contra legem graviter obligantem. Mortale verò per accidens

est

eſt illud, quod tranſit ex veniali propter circumſtantias adjunctas.

13. Q. *Quæ requiruntur ad Peccatum Mortale?*

R. 1mò: Ex parte Intellectûs plena advertentia & deliberatio 2dò: Ex parte Voluntatis perfectus conſenſus. 3tiò: Ex parte Materiæ gravitas ejuſdem materiæ, ex quibus ſi unum deſit, fiet peccatum veniale, quod aliàs ex ſe eſſet mortale.

14. Q. *Quod modis tranſit per accidens peccatum mortale ex genere ſuo in veniale?*

R. Tribus modis: 1mò: Ex parte Intellectûs, ſi non habeatur perfecta deliberatio, ſeu advertentia malitiæ peccati. 2dò: Ex parte Voluntatis, ſi non adſit perfectus conſenſus. 3tiò: Ex parte Materiæ, ſi hæc ſit parvi momenti.

15. Q. *Quot modis peccatum veniale ex genere ſuo poteſt tranſire in mortale?*

R. Quinq; modis: 1mò: Ratione Conſcientiæ Erroneæ, ſi videlicet ille actus, qui ex natura ſua eſt levis, judicetur eſſe gravis. 2dò: Ratione contemptûs aut inobedientiæ formalis. 3tio: Ratione nimii affectûs. 4tò: Ratione Scandali. 5tò: Ratione finis adjuncti mortàlis; ut vg: ſi quis mentiatur jocosè, ut mulierem inducat ad peccatum.

16. Q. *Quot ſunt, & qui effectus peccati mortalis?*

R.

R. Duo: Privatio Gratiæ Sanctificantis. 2dò: Reatus Culpæ & Pœnæ; per Peccatum enim mortale homo ex amico DEI fit inimicus, & contrahit labem seu maculam in anima, nec non reatum pœnæ æternæ.

17. Nota In peccato duo considerari debere. Materiale & Formale peccati. Materiale est ipsa entitas actus peccati; Formale verò est ipsa malitia actus. Dicendum ergo est, DEUM non concurrere ad Formale peccati, sed solùm ad materiale, utpotè causam universalissimam, proinde non esse Authorem peccati, sed acerrimum vindicem & Judicem justum.

§. 2.

De Distinctione specifica Peccatorum.

1. Q. *Quid est Species Moralis peccati ?]*
R. Est specialis malitia, per quam unum peccatum essentialiter differt ab alio.

2. Q. *Unde desumitur distinctio specifica peccatorum ?*
R. 1mò: Cum S Thoma 1. 2. q 72. a. 1. Distinctio specifia peccatorum sumitur ab objectis formalibus eorum; specie distinctis, seu ex diversa specie malitia, quæ reperitur in actu peccaminoso, sic vg: fur-

furtum specie differt à fornicatione, cum aliud sit objectum furti, nempè ablatio rei alienæ, & aliud fornicationis, videlicet copula carnalis.

3. Sumunt 2dò: Peccata distinctam speciem malitiæ ex diversitate formali præceptorum contra quæ sunt peccata, hinc vg: homicidium & furtum inde sunt peccata specie diversa quia repugnant diversis præceptis. Homicidium isti præcepto: Non occides. Furtum illi: Non furtum facies; ita S. Thomas.

4. Distingvuntur 3tiò: peccata specie inter se per opositionem, seu ordinem ad diversas virtutes, contra quas fiunt, vel eidem virtuti modo notabili diverso; sic vg: ad primam partem Furtum Sacrilegum opponitur justitiæ & Religioni; quo ad secundam autem: Liberalitati, prodigalitas per excessum, & avaritia per defectum.

5. Breviùs idipsum exponitur. Pluralitas specifica peccatorum debet attendi vel ex pluralitate Objectorum specie diversorum, ut est homicidium & furtum. Vel ex eodem objecto plures tamen malitias specie diversas habente, ut homicidium Sæcularis & Clerici. Vel tandem ex Objecto & fine diversis; ut vg: dum quis alium occidit, ut ejus bona rapiat &c.

§. 8.

§. 3.

De Distinctione numerica Peccatorū.

1. Q. *Unde desumenda sit distinctio numerica peccatorum?*

R. 1mò: Ex Objectis numero & adæquatè distinctis, unde tot sunt peccata numero distincta in uno eodemq; physicè actu, in quot tendit objecta prohibita numero distincta, moraliter non unita; ideò verba impudica, oscula, tactus, copulā seu pollutionem intentam antecedentia, si ea in effectu sequatur, unum numero peccatum constituunt, quia ad eundem finem referuntur. 2dò: Ex interruptione morali actuum, quæ fit per contrariam voluntatem & propositum, vel per liberam cessationem ab actu, vel per naturalem cessationem vg: per somnum.

Clariùs idipsum explicat P. Pikulski Ord: minorum S. Francisci Parte 1. sect: 2. art: 3. n. 20. Pluralitas numerica peccatorū sumenda est vel actibus, vel objectis numero distinctis, ut si peccet cum una, sed pluries. Vel tandem esto sit unus numero actus, dicit tamen respectum ad plura numero objecta; ut si quis uno ictu plures occideret homines; vel uno actu plurium exciperet Confessiones,

§. 4.

§. 4.

De Peccatis Capitalibus, sive de Peccatis in specie.

1. Q. *Quot sunt peccata Capitalia?*
R. Septem: Communiter numerantur videlicet: Superbia, Avaritia, Luxuria, Invidia, Ira, Gula, Acedia.

2. Q. *Quare dicuntur Capitalia?*
R. Quia sunt quasi capita & radices aliorũ peccatorum.

3. Q. *Quid est Superbia?*
R. Est inordinatus appetitus propriæ Excellentiæ.

4. Q. *Quotuplex est Superbia?*
R. Duplex: Perfecta & imperfecta. Superbia perfecta & consũmata est, si quis ita excellere appetat, ut DEO Superioribus, eorumq; Legibus subijci nolit; & talis superbia est peccatum mortale. Superbia imperfecta est, qua quis sũbijci non renuit iis, quibus debet, in suo tamen affectu sese magnificat, & talis Superbia est tantum peccatum veniale; ita Cajet: Lacr.

5. Q. *Quæ sunt, & quod ejusdem Filiæ?*
R. Tres: nimirum Ambitio, Vana gloria, & Præsumptio. *Prima* Ambitio est inordinatus appetitus dignitatis & honoris non

 debi-

debiti, vel debito majoris; ut si ambias Officium vel Beneficium, quo es indignus; vel illicito modô & mediô vg: per Simoniam illud procures, est per se peccatum veniale, fit autem mortale, vel ratione medii, vel ratione damni quod proximo infertur. Si verò ob finem honestum appetatur, nullum est peccatum, sed actus magnanimitatis; ut docet Laymann. 2da Vana gloria est cupiditas inanis gloriæ, cujus finis est manifestatio inordinata propriæ excellentiæ sive veræ sive fictæ; per se est peccatum veniale, cùm hoc vitium secundum se nec DEO, nec proximo gravem injuriam inferat; & tamen est per accidens mortale, ùt dum fit gloriatio de re moraliter mala qualis fuit jactantia illius Pharisæi Luc: 18. non sum sicut cæteri hominum &c. 3tia Præsumptio est appetitus aggrediendi aliquid supra vires; est communiter veniale, fit tamen mortale, si damnum DEO, aut proximo adferat vg: si præsumas Jurisdictionem Ecclesiasticam, Potestatem Ordinis Sacri, Officium Medici, Advocati, Confessarii sine peritia debita.

6. Q. *Quid est Avaritia?*

R. Est immoderatus appetitus habendi pecunias, seu possessiones ita P. Reyfenstuel.

7. Q. *Quot sunt, & quæ Filiæ ejus.*

R. Se-

R. Septem numerantur ejusdem filiæ. Duæ autem sunt singulariores secundùm R. P. Sebastianum Riedl. tract; 2. art: 2. n. 312. de actibus humanis. 1ma est obduratio cordis, claudens viscera ad preces pauperum. 2da Inquietudo mentis, seu vehemens & inordinata applicatio mentis ad conquirendas vel conservandas pecunias; per se est veniale peccatum. si sit de re bona, sed tempore & loco indebito; ut v. g. in Ecclesia cogitando de Familia, messe, vindemia &c. Est verò mortalis, quando retrahit à spiritualibus, vel aliis, ad quæ ex præcepto gravi obligamur.

Ulteriores filiæ Avaritiæ sunt: fraus in facto, fallacia in verbis, proditio Personæ, rei mobilis & immobilis, ac secreti commissi, violentia, perjurium,

8. Q. *Quid est Luxuria ?*

R. Est inordinatus appetitus vel usus venereorum. Ejus species sunt septem; scilicet: Fornicatio, Adulterium, Incestus, Stuprum, Raptus, Sacrilegium, & vitium contra naturam. de quibus infra.

9 Q. *Quot sunt, & quæ Filiæ Luxuriæ ?*

R. Octo: Quatuor ex parte Intellectûs, & quatuor ex parte voluntatis. Et sunt: Cæcitas mentis, præcipitatio, inconsiderantia, inconstantia, amor sui, odium DEI;

affectus præsentis sæculi, horror futuri. Priores 4 sunt mortales, quando finis ultimus in creatura ponitur, vel præceptum aliquod DEI graviter obligans prætermittitur. Posteriores 4 si plenus sit voluntatis consensus, per se sunt mortales; ex indeliberatione verò vel alium actuum imperfectione sæpè veniales.

10. Q. *Quid est Invidia?*

R. Est inordinata tristitia de alterius bono, prout illud est diminutivum propriæ excellentiæ. Est ex genere suo peccatum mortale; juxta D Thom. 2. 2. quæst: 36. a. 1. in Corpore. Ratio est, quia contrariatur charitati, cùm tendat contra bonum proximi, quem, & quod tenemur diligere.

11. Q *Quot sunt, & quæ Filiæ Invidiæ?*

R. Quatuor: Odium proximi Detractio, Gaudium de malo proximi. Susurratio, quæ est oblocutio mala de proximo ad tollendam amicitiam ipsius cum aliis, quā susurro restituere tenetur non minus, quàm detractor famæ.

12. Q *Quid est Gula:*

R. Est inordinatus appetitus Cibi & Potus; juxta S. Thom: 2. 2. q. 148. a. 4. & in re Communis.

13 Q *Quot modis fit Gula?*

R. Quinque hoc versu expressis: Properè, lautè,

lantè, nimis, ardenter, ſtudioſè, cujus ſingulæ voces hæc denotant: *1mò* Properè. Si quis edit tempore Jejunii ante tempus *2dô* Lautè. Quando quis cibos nimis exquiſitos, aut delicatos vult comedere. *3tiò* Nimis. Cum plus juſto comeditur, aut bibitur. *4tò* Ardenter. Dū quis voraciter comedit. *5tò* Studioſè. Quando quis quærit cibos delicatè præparatos & conditos

14. Gula dividitur in Commeſſationem & Ebrietatem. Commeſſatio conſiſtit in exceſſu Ciborum Ebrietas conſiſtit in exceſſu Potûs cauſâ voluptatis, donec uſus rationis amittatur.

15. Ebrietas omnibus modis abſoluta ſemper eſt peccatum mortale; ita S. Thomas. 2. 2. quæſt: 156 art 2. Et eſt Communis DD Neq; eſt licitum ſe inebriare ex conſilio Medicorum ad recuperandam ſanitatem, imo neq; ad mortem vitandam ab alio intentatam; ita S. Auguſtinus Serm 252. vel ut alii ajunt S. Cæſarius de hac re ſic loquitur: etiamſi ad hoc veniretur, ut tibi diceretur, aut bibas aut morieris, meliùs erat ut caro tua ſobria occideretur quàm per ebrietatem Ita R. P. Anacletus Reiffenſztuel Tract: 3 Diſt: 3. Conclus. 5. num. 47

Nota. Quod ſi quis nullô modô prævidit,

dit. aut prævidere potuit periculum ſeſe inebriandi, ut accidit in Noë Gen: 9. culpâ vacat ſaltim mortali; ità ſupra citatus Author eodem loco num. 49.

16. Q. *Quid eſt Ira?*

R. Eſt inordinatus appetitus vindictæ quæ inordinatio ſecundum S. Thomam dupliciter fieri poteſt. 1mò Ex parte modi iraſcendi, ut vg: ſi nimium interius aliquis excandeſcat, vel exterius per ſigna nimis pateſaciat iram. 2dò Ex parte Objecti, ut ſi aliquis vindictam appetat planè injuſtam ob cauſam, vel juſto majorem vg: optando inimico mortem, quã non eſt meritus, vel exequendam propriâ authoritate. Si ergo inordinatè appetatur vindicta, non eſt peccatum iræ, ùt cùm Superiores iraſcuntur culpis ſubditorum, eoſq; puniant, ſeu vindicent. Ira autem inordinata primò modo ſpêctata ex genere ſuo eſt peccatum veniale, poteſt autem per accidens eſſe mortale, ſi addatur blaſphemia, maledictum, ſcandalum. Ira inordinata ſecundô modô conſiderata eſt peccatum mortale, quia eſt directè contra chritatem; ita Bald. t. 3. d. 2

17. Q. *Quot ſunt, & quæ Filiæ Iræ?*

R. Sex potiſſimum numerantur, quæ partim ſunt in Corde, ùt indignatio, tumor

men-

mentis, partim in ore, ut clamor. contumelia, blasphemia, partim in opere, ùt rixæ. 1. Indignatio est inordinatus affectus ex eo, quod quis reputet se indignè ab aliis tractari. 2. Tumor mentis est, qu quis morosè excogitat diversas vias vindictæ, iisq; cogitationibus animum tumefacit. 3. Clamor est, cùm iratus extollit vocem, multa inordinatè effutiens. 4. Contumelia est dictum vel factum injuriosum, quo quis proximo præsenti malum obiicit, cum intentione illum inhonorandi. 5. Blasphemia est, dum jactantur convitia in DEUM & Sanctos, estq; semper peccatum mortale, nisi inadvertentia excuset 6. Rixa est contentio inter duos verbis, vel factis nocivis ex ira, quæ si sit levis, & modum non excedat leviculæ pugnæ, est venialis, si verò progrediatur ad seditiones, vulnera, cædes, mutilatioes, est mortalis.

18. Q. *Quid est Acedia?*
R. Juxta S. Thom: est fastidium rerum Spiritualium.

19. Q. *Quotuplex est Acedia?*
R. Duplex: Generalis, & Particularis. Generalis Acedia est quælibet animi remissio in exercitio virtutum eò quod aliquis labor sit tali adjunctus exercitio. Particularis verò, est, tristitia & tædium

de

de amicitia Divina, eò quod per laborioſa virtutum exercitia ſervari debeat.

Nota. Acedia Generalis tunc ſolùm eſt peccatum mortale, quando per illam omittitur opus ſub mortali præceptum; vg: auditio Miſſæ die Feſto, Jejunium in Vigilia &c. Particularis verò Acedia ſeu triſtitia de bono Divino, non curando amicitiam DEI, legem, gratiam. & Sacramenta homini ad ſalutem animæ neceſſaria æquè eſt mortalis.

20. Q. *Quæ ſunt Filiæ Acediæ?*

R. Sex numerantur. *1ma.* Malitia, quâ peccator odio habet Spiritualia bona. & DEI Beneficia, & vellet ea non eſſe. *2da* Rancor eſt, quædam indignatio contra eos, qui ad ſpiritualia bona inducunt. *3tia* Puſillanimitas eſt, quâ quis Divina Conſilia, & quæ perfectionis ſunt, exequi non audet. *4ta* Deſperatio, quâ deſperatur de æterna Beatitudine. *5ta* Torpor, quando quis negligit ea facere, quæ ſunt ex præcepto facienda. *6ta* Evagatio mentis eſt, quâ quis in exercitio operum Spiritualium evagatur circa illicita, aut impertinentia.

21. Q. *Per quid delentur peccata mortalia? & per quid venialia?*

R. Mortalia per Sacramenta. venialia verò per Sacramentalia, & per varios actus

The-

Theologicarum Virtutū, videlicet, Contritionis &c. si eliciantur in ordine ad deletionem peccati venialis, quia Trident: Seff: 14. cap. 5. ait: Venialia multis aliis remediis præter Confeffionem deleri poffe.

22\. Q. *Quid funt Sacramentalia?*

R. Sunt actus externi Religionis ad colendum DEUM accommodati vg: Oratio Dominica, Confeffio generalis &c. & continentur hoc verfu: Orans, tinctus, edens, confeffio, dans, benedicens.

1\. Per ly Orans denotatur quotidiana oratio fidelium, præfertim Pater nofter.

2\. Per ly Tinctus, intelligitur afperfio, Aquâ luftrali feu benedictâ.

3\. Per ly Edens intelligitur efus Agni Pafchalis, & devota manducatio Panis benedicti.

4\. Per ly Confeffio, intelligitur Confeffio generalis, quæ dicitur in principio Miffæ.

5\. Per ly Dans, intelligitur largitio eleemofinæ.

6\. Per ly Benedicens, denotatur Benedictio Epifcopi, Abbatis.

(———)

TRA-

TRACTATUS IV.

De Virtutibus Theologicis.

CAPUT I.

§ 1.

De Virtute in Genere.

1. Q. *Quid est Virtus generaliter sumpta?*
R. Est habitus perficiens substantiam intellectualem, & ad bonam operationem inclinans.

2. Q. *Quotuplices sunt Virtutes?*
R. Duplices. Imprimis ex parte Subjecti sunt: Intellectuales & Morales. 2dò: Ex diversitate causæ efficientis sunt: Infusæ & Acquisitæ. 3tiò: Ratione objecti sunt: Theologicæ & Morales.

3. Q. *Quid sunt Virtutes Intellectuales?*
R. Sunt illæ, quæ Intellectum, in quo subjectantur perficiunt, & sunt quinque: Intellectus, Scientia, Sapientia, Ars. & Prudentia

4. Q. *Quid sunt Virtutes Morales?*
R. Sunt illæ, quæ subjectantur in appetitu rationali, & juxta dictamen rectæ rationis moderantur, & dirigunt affectus animi nostri.

5. Q. *Quid sunt Virtutes infusæ?*

R. Sunt illæ, quæ nobis à DEO immediatè infunduntur, ùt sunt habitus Fidei, Spei, & Charitatis

6. Q. *Quid sunt Virtutes acquisitæ?*
R. Sunt quæ nostrâ industriâ, nostrisq; frequentatis actibus comparantur; ùt sunt habitus temperantiæ, mansvetudinis.

7. Q. *Quid est Virtus Theologica?*
R. Est donum Supernaturale nobis à DEO infusum, cujus principalis actus tendit in DEUM, tanquàm Objectum immediatum.

8. Q. *Quot sunt Virtutes Theologicæ?*
R. Tres. Fides, Spes. Charitas. Major autem horum est Charitas teste D Paulo Apostolo quæ sola remanet in Beatis, in statu Gloriæ Cælestis.

§. 2.
De Fide.

1. Q. *Quid est Fides?*
R. Est Virtus Supernaturalis inclinans intellectum ad credendas Revelationes Divinas propter ipsius Authoritatem.

2. Q. *Quotuplex est Fides?*
R. Duplex: Actualis & Habitualis. Actualis est Assensus alicui propositioni propter testimonium DEI. Habitualis verò est, qualitas quædam in Baptismo nobis infusa, per quam possumus credere Articulis Fidei.

3.

3. 2dò Fides dividitur in Fidem Formatam & Informem. Prima est, quæ habet adjunctam Charitatem. 2da est quæ hanc non habet.

4. 3tiò Fides dividitur in Vivam & Mortuam. Fides Viva est, quæ est conjuncta cum operibus bonis. Mortua est, quæ est sine bonis operibus.

5. Q. *Quod est Objectum Formale Fidei?*
R. Infallibile Testimonium DEI revelantis.

6. Q. *Quod est Objectum materiale primarium & incompletum Fidei?*
R. Est DEUS.

7. Q. *Quotuplices sunt Articuli Fidei?*
R. Duplices. Alii sunt necessarii necessitate medii, sine quibus de lege ordinaria impossibile est salvari. Alii necessarii necessitate præcepti, sine quibus inculpabiliter omissis potest salus æterna obtineri.

8. Q. *Quot & qui sunt Articuli scitu necessarii necessitate medii?*
R. Quatuor. 1mò Credere quod sit DEUS. 2dò Quod sit unus in natura, Trinus in Personis. 3tiò Quod secuda Persona Sſmæ Trinitatis sit incarnata. 4tò Quod DEUS sit Remunerator nostrorum Operum.

9. Q. *Quot & qui sunt Articuli Fidei scitu necessarii necessitate præcepti?*
R. 1mò Decem præcepta Decalogi. 2dò Se-

Septem Sacramenta. *3tiò* Quinquè præcepta Ecclesiæ. *4tò* Oratio Dominica. *5tò* Symbolum Apostolorum.

10. Ex his alii sunt Articuli Fidei necessarii necessitate medii pro omni lege tam naturæ quàm gratiæ; vg: pro lege naturali & scripta sunt Duo: *1mò* Credere quod DEUS sit. *2dò* Quod sit renumerator nostrorum Operum in hac, & in altera Vita. Alii verò Duo Articuli sunt necessarii necessitate medii solùm in lege gratiæ. *1mò* Quod DEUS sit Trinus in Personis *2dò* Quod Secunda Persona sit incarnata.

11. Q. *Quos Articulos Fidei tenemur credere explicite, & quos implicite?*

R. Articulos Fidei necessarios necessitate medii & præcepti explicite; implicitè verò omnes, quos credit S. Mater Ecclesia, & nobis ad credendum proponit.

12. Q. *Quando in Vita tenemur elicere Actum internum Fidei?*

R. Quando amissam gratiam tenetur aliquis recuperare per Contritionem extra Sacramentum, vel per attritionem cum Sacramento. *2dò* Quoties eliciendi sunt Actus Supernaturales Virtutum vg: Spei, Charitatis, Religionis tunc Actus Fidei præmittendus *3tiò* Quoties Sacramentum aliquod est suscipiendum. *4tò* Quoties

ties urget gravis tentatio contra Fidem, Spem, Charitatem. 5tò Diebus Dominicis.

13. Q. *Quotuplex est præceptum Fidei?*
R. Duplex. Affirmativum & Negativum. Affirmativum obligat nos, ut ea omnia quæ à DEO sunt revelata, atq; ut talia nobis per Ecclesiam proposita credamus. Negativum verò est, ut Fidem nunquam negemus, neq; dissentiamus rebus Fidei.

14. Q. *Quando tenemur ad Extremam Fidei Confessionem?*
R. Tunc tenemur Fideles omnes profiteri externè Fidem Catholicam, quando id vel Honor DEO debitus, vel salus animæ propria, vel proximi videtur exigere; ità D. Thom 2. 2. q. 3. a. 2.

15. Q. *Quot sunt, & quæ Symbola Fidei?*
R. Tria. 1mò Symbolum Apostolorum, ab ipsis nimirum Apostolis conditum. 2dò In Concilio Niceno contra Arianum compositum. 3tiò S. Athanasii, quod licet à Persona privata editum sit, fuit tamen authoritate S. Pontificis pro Regula Fidei acceptum & approbatum.

16. Q. *Quæ sunt, & quot Regulæ Fidei?*
R. Quinq; 1. Ecclesia. 2. Concilium Generale sumptum cum Papa. 3. Papa, ùt loquens ex Cathedra, seu sine Concilio. 4. Sacra Scriptura. 5. Traditiones.

§. 3.

§. 3.
De Ecclesia.

1. Q. *Quid est Ecclesia?*
R. Est Cætus convocatorum, sive Fidelium. Nam Ecclesia est Nomen Græcum idem significans ac latinè Convocatio.

2. Q. *Quotuplex fuit Ecclesia?*
R. Juxtà triplicem statum Legis naturæ, Scriptæ, & Gratiæ fuit triplex. In omni enim statu DEUS habuit suos Fideles convocatos per gratiam in agnitionem sui Creatoris.

3. Q. *Quotuplex est Ecclesia Christi? sivè legis Gratiæ?*
R. Triplex: Triumphans, quæ est cætus Beatorum in Cælis. Patiens sivè Purgans, quæ est cætus Fidelium justorum Defunctorum in Purgatorio degentium. Militans, quæ est cætus Fidelium in terris sub Christi vexillo, ac obedientia Ejus Vicarii militantium.

4. Q. *Quotuplex est Ecclesia Christi Militans?*
R. Duplex: Universalis & Particularis. Universalis est, quæ complectitur omnes omnino Fideles totius mundi. Particularis verò est, quæ complectitur Fideles unius duntaxat Regni, vel Provinciæ.

5. Q. *Quot sunt Notæ, vel Characteres veræ Ecclesiæ?*

R.

R. Quatuor. 1mò Quod ſit Una unitate Fidei & doctrinæ. 2dò Sancta ob puritatem doctrinæ, & Sanctitatis media, videlicet SS Sacramenta; & quia extra eam non poteſt ſanctitas reperiri, nec ſalus tum quia in ea multi ſunt Sancti 3tiò Catholica, quia ſe extendit ad omnes mundi partes & ad omne tempus. 4tò Romano Apoſtolica, quia Eccleſia Romana eſt Mater omnium Eccleſiarum, fundata Apoſtolorum doctrinâ, & ſangvine, cui Chriſtus Dominus dedit Primatum.

6. Q. *Qui ſunt extra veram Chriſti Eccleſiam ?*

R. Infideles, non baptizati, Cathecbumeni, Hæretici publici, Schiſmatici, Excommunicati non tolerari; ita D.D. apud Bellarminum.

7. Q. *Qui ſunt intra Eccleſiam ?*

R. Omnes Fideles non tantùm prædeſtinati, ſed etiam reprobi, non tantùm perfecti ſed etiam peccatores.

8. Q. *Eccleſia Chriſti debetnè eſſe Viſibilis ?*

R. Affirmativè. & patet ex illis verbis Mat: 16 Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.

9. Q. *Eccleſia Chriſti viſibilis eſtnè perpetua ?*

R. Quod ſit perpetua deducitur ex illis verbis Chriſti Matth: ultim: cap: Ecce Ego

vobi

vobiſcum ſum omnibus diebus uſq; ad conſumationem &c.

10. Q *Eccleſia eſtne infallibilis in rebus Fidei?*

R Eſt, Patet ex verbis Apoſtoli 1. Timoth: 3. ubi dicitut Eccleſia Columna & Firmamentum Veritatis.

§. 4.

De Conciliis Generalibus.

1. Q *Quid eſt Concilium?*

R. Eſt Congregatio Prælatorum Eccleſiæ ad Fidei Controverſias defendendas, vel Fideliũ mores reformandos à legitimo Capite convocata.

2. Q *Quotuplex eſt Concilium?*

R. Triplex. Provinciale, Nationale, & Generale. Provinciale eſt illud, cui interſunt unius Provinciæ Epiſcopi. Nationale eſt, cui interſunt Archi Epiſcopi & Epiſcopi unius Regni vel Nationis. Generale eſt, ad quod convocantur totius Orbis Chriſtiani Epiſcopi & alii Prælati.

3. Q *Quotuplex eſt Concilium Generale?*

R Duplex. Oecumenicũ & Generale tantùm. Primum eſt illud, quod ab Univerſali Eccleſia & Summo Pontifice eſt pro legitimo judicatum. Secundum verò eſt,

quod pro tali non habetur.

4. Q. *Undè Conciliorum Origo?*

R. Ab Ipso Christo Domino qui Matth: 16. legitur convocasse in unum Apostolos, quæsit onemq; illis hanc proposuisse: Quē dicunt homines esse Filium hominis?

5. Q. *Ad quem spectat de jure convocare Concilia Generalia?*

R. Ad solum Romanum Pontificem tanquàm legitimū Vicarium Christi, & Successorem Petri Apostoli, cui dictum est à Christo: Pasce Oves meas.

6. Q. *Quæ Personæ vocantur ad Concilium de jure?*

R. Soli Episcopi Ratio est, quia hi soli habent Votum decisivum veluti Ecclesiarum Pastores.

7. Q. *Cujus sit præsidere Concilio Generali?*

R. Solius summi Pontificis per se, vel per suos Legatos Quia Ille solus est supremum Caput Ecclesiæ in Spiritualibus & Fidei dogmatibus.

§. 5.

De Summo Pontifice, seu Sede Apostolica

1. Q. *Quod est Caput Ecclesiæ Christi?*

R. Supremum Caput Invisibile est Ipse Chri-

Christus Dominus. Caput verò Visibile in terris, est quilibet Summus Pontifex legitimus Petri Successor & Vicarius Christi Domini.

2. Q. *Cui commisit Christus Primatum & Jurisdictionem pro Universali Ecclesia?*

R. Petro Apostolo ut patet ex illis verbis: Tibi dabo Claves Regni Cælorum &c. Joan: 21. Pasce Oves meas. & in illo omnibus Petri legitimis Successoribus.

3. Q. *Qualem Jurisdictionem sive Potestatem habet Papa in Omnes Fideles?*

R. Jure Divino habet Jurisdictionem Spiritualem.

4. Q. *A quo confertur suprema Jurisdictio Papæ?*

R. Non confertur Ei à Cardinalibus per electionem, cùm nemo dat id, quod non habet, sed provenit à Christo vi promissionis factæ S. Petro; ita Babenstuber Lib: tract: 1, cap. 6. n. 6. citans Innocentii III. textum, qui dicit in cap: Novit de Judiciis: Potestas Nostra non est ex homine, sed ex DEO.

5. Q. *Quando Papa censetur ex Cathedra loqui, & definire?*

R. Cum definit aliquid tanquàm Supremus Ecclesiæ Pastor & Doctor docens Universam Ecclesiã, quid sit credendũ? & quid sequendum? Obligando omnes ad obser-

vantiam. ut credant & operentur Juxtà ſuam definitionem. Mattheuci pag: 414.

6. Q *An Papa loquens ex Cathedra errare poſſit?*

R. Non. Et hoc propter ſpecialem Aſſiſtentiam Spiritûs S. quam habet, ut verus Vicarius Chriſti repræſentans Perſonam Ipſius in decidendis Articulis Fidei.

7. Q *An Concilium Generale ſit ſupra Papã?*

R. Negatìvè Ratio eſt: quia Papa eſt Supremum Caput Eccleſiæ, utpote Vicarius Chriſti, ergo eſt ſupra omnia membra Eccleſiæ in ûnum ac Concilium Generale congregata.

§. 6.

De Sacra Scriptura.

1. Q *Quid eſt Sacra Scriptura?*

R. Eſt verbum DEI ſcriptum, quod nobis Prophetæ & Apoſtoli reliquerunt; ac S. Mater Eccleſia in Tridentino Seſſ: 4. enumerat.

2 Q *Quotuplex eſt Sacra Scriptura?*

R. Duplex: Novi & Veteris Teſtamenti contenta in Libris 72.

3 Q *Quotuplex eſt ſenſus Sacræ Scripturæ?*

R. Quadruplex: Literalis, Allegoricus, Moralis, Anagogicus. Et hi ſenſus exprimuntur verſu:

Li

Litera gesta docet, Quid credas? Allegoria
Moralis. quid agas? quo tendas? Anagogia.

Juxta hos quatuor Sensus scripserunt SS. Quatuor Doctores. S. Hieronymus in sensu Literali. Ambrosius Allegorico. Augustinus Anagogico. Gregorius in Morali.

4. Q. *Quotuplex est Sensus Literalis?*
Duplex Proprius seu Simplex, & Improprius seu Figuratus, qui potius Metaphoricus dicitur.

5. Q. *Quot fuerant Interpretes S. Sciptura?*
R. Septuaginta duo; ita P. Pikulski p. 1. sect. 11. a. 3. §. 1. n. 22.

6. Q. *Estnè adeo obscura S. Scriptura, ut indigeat interpretatione?*
R. Est in aliquibus tantum locis, ut patet ex Verbis Christi Lucæ 18. ad Discipulos: Et ipsi eorum nihil intellexerunt.

7. Q. *Licetnè omnibus S. Biblia legere?*
R. Non licet Vernacula lingua vg: Polonica, tum ideo, quia non sunt examinata & approbata à S. Sede Apostolica, tum ideò, ne multi scandalizentur.

§. 7.

De Traditione.

1. Q. *Quid est Traditio Theologica?*

R. Est

R. Eſt quædam Doctrina ad Religionem ſpectans, quæ in S. Scriptura non habetur, neq; ex illa clarè eruitur, ſed ſolâ voce quaſi de aure in aurem ſucceſſivè tradita; ùt vg: quod B. V. Maria etiam poſt partum ſit Virgo.

2. Q. *Quotuplex eſt Traditio ?*

R. Triplex: Divina, Apoſtolica, & Eccleſiaſtica Divina eſt, quam Apoſtoli immediatè vel à Spiritu Sancto, vel ex ore Chiſti dictatam acceperunt & illam poſtea promulgaverunt. & talis eſt circa materim & formam Sacramentorum. Apoſtolica quæ ab Apoſtolis inſtituta eſt, & in Scriptura S. non reperitur, ut Jejunium Eccleſiaſticum certis temporibus. Eccesiaſtica, quæ eſt conſvetudo quædã antiqua ab Epiſcopis. vel populo fideli in Eccleſiam introducta.

3. Q. *Quotuplex eſt adhuc Traditio ?*

R. Duplex: Doctrinalis, & Moralis, Prima eſt, quæ ad fidem & dogmata ſpectat vg: quod ſint Quatuor Evangelia. Secunda eſt, quæ ad mores pertinet, &ad actiones faciendas vg: quod Signum Crucis formandum ſit in fronte &c.

4. Item Traditio alia eſt perpetua, quæ perpetuo uſq; ad finem mundi obſervari debet. Alia temporalis, quæ ſolùm ad tempus.

5. De-

5. Deinde alia eſt Univerſalis, quæ toti Eccleſiæ ſervanda traditur. Alia particularis, quæ alicui particulari Eccleſiæ in Diæceſi, Regno, aut Provincia traditur eſſe obſervanda.

6. Q. *An admittenda ſit Traditio Divina?*
R. Affirmativè: Ratio eſt: quia plura ſpectantia ad fidem non ſunt expreſſa in S. Scriptura undè in his ſolâ regimur Traditione Divinâ.

7. Q. *Qualem authoritatem habet Traditio Divina?*
R. Tantam habet, quantam habet ipſa S. Scriptura. Ratio eſt: quia æqualis infallibilitas eſt traditio apud nos, quàm S. Scriptura.

8 Q. *An Traditiones per Eccleſiam mutari aut abrogari poſſunt?*
R. Traditiones Divinæ mutari vel abrogari non poſſunt. Ratio eſt: Quia Eccleſia cum ſit inferior Ipſo DEO & Chriſto, non habet poteſtatem in legem ſuperioris. Apoſtolicas verò & Eccleſiaſticas pro diverſitate temporis mutare poteſt vel abrogare. Ratio eſt: quia has mutando ſive abrogando non excedit poteſtatis ſuæ limites.

9. Q. *Erantnè apud Judæos Traditiones?*
R. Affirmativè Quarum aliquæ erant laudabiles, aliquæ ſuperſtitioſæ, vanæ, & inu-

inutiles, & has illis exprobavit Christus Matth: 15.

10. Q. *Creduntnè ipsi Dissidentes aliqua quæ non habentur in S. Scriptura, sed tantùm ab Ecclesia Romano Catholica tradita sunt?*

R. Credunt dari 4. Evangelia, 14 Literas S. Pauli esse verum DEI Verbum. Infantes esse baptizandos Diem Dominicum cum Judæis Sabbato non observandum &c. Hæc tamen credunt fide humana non fide Theologica.

§ 8.

De Vitiis Fidei oppositis.

1. Q. *Quod Vitium directè opponitur Fidei?*

R. Infidelitas, quæ est error intellectûs pertinax in eo, qui nondum Fidem suscepit.

2. Q. *Quotuplex est Infidelitas Fidei opposita?*

R. Duplex: Positiva & Negativa. *1ma* reperitur in illis, qui Fidei notitiam habent, sed illam contemnunt, vel Ei contradicunt, ùt vg: in Judæis, Turcis, & Hæreticis. Negativa verò est in illis, qui nihil audiverunt de Fide, & talis fuit in Gentibus.

3. Q.

3. Q. *Infidelitas Positiva est-è peccatum?*
R. Ex genere suo est peccatum gravissimum, ùt patet ex Verbis Christi Joan: 15. Si eis non dixissem, peccatum non haberent.

4. Q. *Quot sunt species Infidelitatis?*
R. Tres: Paganizmus Judaizmus, & Heresis. Paganizmus est tunc, quando nullius Misterii revelati fides habetur. Judaizmus est, quando creditur Veteri Testamento, & non Novo. Hæresis est, quando alicui veritati ex novo & veteri Testamento fides negatur. Ad Hæresim reducitur Apostasia. quæ est tunc, quando fides suscepta totaliter abiicitur. Et Schisma quod est divisio pertinax hominis baptizati ab Unitate Ecclesiæ Catholicæ, & Pontifice Romano.

5. Q. *Quotuplex est Hæresis?*
R. Duplex; Materialis, & Formalis. Materialis est error contra Fidem Catholicā non ex pertinacia, sed ex simplicitate, vel defectu informationis debitæ, aut sinistra instructione proveniens & talis Hæresis datur in Vulgo hæreticorum, ubi Catholici non reperiuntur. Formalis, est error in intellectu cūm pertinatia voluntatis conjunctus in homine baptizato. contra aliquam Fidei Catholicæ veritatē.

6. Q. *Quæ requiruntur ad formalē Hæresim?*

R.

R. Hæc duo memorata, videlicet: Error in intellectu & pertinacia in Voluntate.

7. Q. *Hæresis Formalis estnè peccatum ?*

R. Est grave peccatum ex genere suo, & quidem graviùs, quàm Paganismus.

8. Q. *Hæresis Materialis estnè peccatum ?*

R. Non est: quia ignorantia invincibilis eos excusat potissimum à peccato.

9. Q. *Hæresis Materialis inducitnè pœnas juris pro foro externo ?*

R. Non. Ratio est: quia pœnæ in Hæreticos latæ non incurruntur, nisi propter culpã conjunctam cum pertinacia, quæ in his non datur

10. Q. *Quas pœnas incurrunt formales hæretici ?*

R. Duplices. Spirituales & Temporales. Spirituales sunt quinquè 1ma Excommunicatio major Papæ reservata in Bulla Cænæ Domini contenta. 2da Inhabilitas ad omnia Officia Ecclesiastica. 3tia. Privatio Beneficiorũ quæ prius habuerunt. 4ta Irregularitas 5ta. Priavatio Sepulturæ.

11. Q. *Quot, & quæ sunt pœnæ temporales, quas incurrunt Hæretici Formales ?*

R. Quinq; sunt. 1. Infamia. 2. Confiscatio Bonorum 3. Amissio paternæ potestatis in filios. 4. Exemptio subditorum ab obediendo illis. 5. Intestabilitas, vi cujus nec testari possunt, nec vi testamenti aliquid accipere.

12. Duplices sunt adhuc Hæretici. Interni,
& Externi. Interni sunt qui errorem
suum cum pertinacia conjunctum solâ
mente retinent. Externi sunt, qui erro-
rem illum, quem mente retinent, exte-
rius manifestant, verbô aut factô.

§. 9.

De Schismate & Apostasia.

1. Q. *Quid est Schisma?*
R. Est pertinax segregatio hominis bapti-
zati ab Uunitate Ecclesiæ Catholicæ, pro-
ut hæc est Corpus Mysticum ex universis
fidelibus tanquam membris, & Romano
Pontifice, tamquam Capite constans.

2. Q. *Quotuplex est Schisma?*
R. Duplex: Purum & Impurum. Purum
est, spontanea fuimet separatio ab uni-
tate Universalis Ecclesiæ ac debita Papæ
obedientia ob malitiam vel timorem re-
tinendo Fidem integram. Impurū Schi-
sma est, quando quis propter inobedien-
tiam Papæ, negat aliquem articulum Fi-
dei vg: quod Papa non sit Caput Ecclesiæ,
& tale Schismisma est conjunctum cum
hæresi.

3. Q. *Quid est Apostasia?*
R. Est temerarius recessus ab instituto
pri-

prioris vitæ, quod publica & Solemni professione susceptum est.

4. Q. *Quotuplex est Apostasia?*
R. Triplex. A Fide, Religione, & Sacro Ordine.

5. Q. *Quid est Apostasia à Fide?*
R. Est defectio omnimoda à Fide Catholica, quam quis in baptismate suscepit, differt ab Hæresi, quia hæc non deserit fidem totaliter.

6. Q. *Quid est Apostasia à Religione?*
R. Est recessus criminosus à statu Religioso, quem aliquis est professus, sine proposito revertendi, sivè abiiciatur habitus, sive non. Unde non est Apostata ille, *1mò*: qui cum licentia Prælati egreditur ad curam animarum, aut ad Episcopatum evehitur, nequè *2dò*: ille, qui transit ex uno Ordine ad alium strictiorē.

7. Q. *Quid est Apostasia ab Ordine Sacro?*
R. Est temerarius transitus à statu Clericali ad conversationem Laicalem dimissô habitu & tonsurâ Clericali.

8. Q. *Quas pœnas incurrunt Apostatæ à Fide?*
R. Easdem, quas Hæretici formales

9. Apostatæ verò à Religione incurrunt pænas sequentes: *1mò* Si dimiserunt habitum; Excommunicationem latæ sententiæ. Si autem retinuerunt ferendæ sententiæ. *2dò*: Suspenduntur ipsô factô ab usu &

exer-

exrcitio Ordinūm Sacrorum, non tamen Minorum. *3tiò*: Amittunt omnia Privilegia Ordinis, exceptis iis, qui habitum retinent; ità P. Kloz. lib: 5. tit: 9.

10. Apostatæ verò ab Ordine Sacro stringuntur pænis *imò*: Excommunicatione ferendæ Sententiæ. *2dò*: Infamiâ, quæ per pænitentiam tolli potest. *3tiò*: Irregularitate. *4tò*: Amissione Privilegii Fori & Canonis, ita ùt percutiens ipsum non incurrat Excommunicationem, ex Canon: 23. de Sententia Excommun:

11. Q. *In quibus non licet Catholicis cum Paganis communicare?*

R. In iis rebus, quæ spectant ad Religionem, videlicet in Doctrina, Ritibus, & Cæremoniis Ethnicis, ut docet Paulus 2. ad Corint: 6. Nolite jugum ducere cum Gentibus. De hac materia Babenstuber Tract: 5. disp: 1. a. 1. § 2. n. 14.

12. Q. *In quibus non licet Catholicis communicare cum Judæis?*

R. Non licet sub peccato mortali cum Judæis habitare, eorum Azymis vesci, Medicis vel Chyrurgis uti, nisi in necessitate, ad eorū convivia accedere, cum illis saltare, Obstetrices, vel Nutrices agere, exceptâ necessitate extremâ, in eorum Synagogis servitia exercere. Ita Edictum Andreæ Załuski Episcopi Cracoviensi 1751.

13. Q. *Qui sunt Casus reservati Episcopo Cracoviensi in hac materia?*

R. Administrante Officium Episcopale Cracoviensis Diœcesis cum plena Jurisdictione Celsissimô & Illustrissimô Michàéle Georgio Poniatowski Primate Regni Anno 1788 erant reservati specialiter hi duo Casus: 1mò Commiscentes se carnaliter Judeis maribus vel Fæminis. 2dò. Tradentes ad necem iisdem Judæis, auxilium præstantes, scientes traditionem & non manifestantes. Ab his Casibus nec Regulares absolvere possunt pænitentes sine licentia Episcopi. Contraria damnata Sententia ab Alexandro VII.

14. Q. *Quid faciendum est Confessario cum legentibus libros prohibitos?*

R. 1mò: Injungat pænitenti, ut librum referat Episcopo, & in casu impossibilitatis ipsi saltem Confessario. 2dô: Non illum absolvat, donec reddiderit librum. 3tiò: Inquirat utrum sciat etiam alios complices, eiq; præcipiat ùt eos deferat. 4tò: Inquirat, quoties illos legit, aliis accomodavit, an falsa dogmata promulgavit. Demum ad eliciendos Actus Fidei, Spei &c. eundem excitet.

CAPUT II.
De Spe. 2da Virtute Theologica.

§. 1.

1. Q. *Quid est Spes ?*
R. Est Virtus Supernaturalis, per quam cum fiducia nostræ salutis, & æternæ vitæ bona expectamus.

2. Q. *In quo Spes nostra collocanda ?*
R. In DEO, & Domino nostro JESU Christo, Ejusq; pretiosis meritis. ut patet ex Verbis 1. Petri 1. Regeneravit nos in Spem vivam per Resurrectionem JESU Christi.

3. Q. *Quotuplex est Objectum Spei?*
R. Duplex Materiale & Formale. Objectum Materiale Spei primarium est DEUS possidendus. Secundarium sunt omnia bona Spiritualia absentia & ardua Divinô auxiliô acquisibilia. Objectum formale Spei *quod* est DEUS, ut Beatitudo objecta. Objectum verò Formale *quo* est DEUS, ut auxiliator: juxta illud Psalm: 17. DEUS meus, auxiliator meus, & sperabo in Eum.

4. Q. *Quibus est necessaria Spes ad salutem ?*
R. Spes habitualis, seu habitus supernaturalis virtutis Spei est necessarius omnibus omnino hominibus ad salutem necessita-

sitate medii; Spem autem actualem, sive aliquem actum Spei omnibus adultis esse necessarium necessitate medii ad salutem.

5. Q. *Quotuplex est præceptum Spei?*

R. Duplex. Affirmativum, & Negativum. Præceptum Negativum obligat nos semper pro semper ùt neq; desperemus aliquando, neq; præsumamus. Affirmativum autem obligat nos al quoties in vita præsenti ad eliciendos actus Spei, pariter ac actus Fidei, ùt supra diximus art: 1. § 11. num 12.

6. Q. *Spes Christiana includitnè in se timorem DEI?*

R. Includit. ùt patet ex illo Deut: 10. Quid Dominus DEUS petit à te? nisi ùt timeas Eum? & ambules in viis Ejus, & diligas Illum Et Lucæ 12. Timete Eum, qui postquam occiderit Corpus, habet potestatem Corpus & Animam mittere in Gehennam. Ubi in priore textu de timore filiali; in secundo textu de servili agitur.

§. 2.

De Vitiis Spei oppositis.

1. Q. *Quæ vitia Spei opponuntur?*

R. Duo. Desperatio, & Præsumptio. Hæc

per

per excessum: ista per defectum.

2. Q. *Quid est Præsumptio?*

R. Est actus Voluntatis, quo quis bona Supernaturalia vult aliter obtinere à DEO; quàm hic obtinenda esse constituit vg ùt dum quis propriis naturæ viribus, sine bonis operibus se sperat salvandum &c.

3. Q *Quid est Desperatio?*

R. Est actus Voluntatis, quo quis efficaciter renuit æternam Beatitudinem prosequi eo, quod appareat obtentu nimis ardua, vel nunquam futura, vel impossibilis, ut vg: Gen: 3. Caimus censuit: major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear.

4. Q *Quale est peccatum Præsumptio?*

R. Semper est peccatum mortale, quocunq; modo contingat, imò secundùm S. Thom: 2, 2. q 21. a. 1. est peccatum contra Spiritum S. ùt citat Rabenstuber Tract: 5 Disp: 3 art: 3 §. 1. n. 14.

5. Q *Quale est peccatum Desperatio?*

R. Ex genere suo est peccatum mortale atq; gravissimũ in Spiritum S. Ita Omnes Doctores.

Nota 1*mò*: In Desperatione duo contingunt, 1*mò* judicium intellectûs, quô quis judicat sibi nimis arduum & impossibile esse consequendam Beatitudinem. 2*dò* Fuga voluntatis, quâ quis refugit salutem,

tanquam obtineri impossibilem, atq; ideo ab ejus procuratione ob difficultatem mediorum apprehensam desistit.

Nota *2dò* Peccatum Præsumptionis dupliciter committi potest. *1mò* Cùm quis præsumit se Divinam Gratiam aut æternam gloriam ex seipso & propriîs naturæ viribûs adipisci posse, ut Pelagiani. *2dò*, Quando quis præsumit se solâ DEI misericordiâ, & liberalitate, Christiq; meritis, absq; prævia pænitentia, & cooperatione per bona opera Beatitudinem, vitamq; æternam consecuturum.

CAPUT III.
De Charitate. 3tia Virtute Theologica.

§. 1.
De Charitate DEI.

1. Q *Quid est Charitas?*
   R. Est Virtus Supernaturalis, quâ DEUS diligitur propter se, proximus verò propter DEUM.
2. Q *Quod est Objectum Formale? Charitatis?*
   R. Est sola Bonitas Divina.
3. Q *Quod est Objectum materiale Charitatis?*

R.

R. Primarium eſt DEUS. Secundarium Proximus. Scilicet Homo & Angelus beatitudinis capaces; undè Dæmon & damnati diligi non debent.

4. Q. *Quotuplex eſt Amor ſive Charitas DEI?*

R. Duplex Appretiativus. & Intenſivus. *1mus* eſt, quando DEUS æſtimatur ſupra Creaturas omnes, iiſq; omnibus præfertur, ita, ut neq; amore illarum, neque timore vellet quis DEUM offendere. *2dus* vero Amor eſt, quando DEUS intenſius amatur quàm omnes res creatæ.

5. Q. *Quis eſt Amor DEI neceſſarius ad Salutem?*

R. Convenientiſſimum eſſet amare DEUM intenſivè, ſicut Illum multi Sancti in hac vita amabant, ſed ſpectatâ fragilitate humana in moderno ſtatu vitæ præſentis ſufficit amor appretiativus, ut DEUM plus omnibus rebus creatis appretiemur.

6. Q. *Quotuplex eſt præceptum diligendi DEUM?*

R. Duplex Affirmativum, & Negativum. Negativum obligat nos, ne DEUM odio habeamus, aut aliquid agamus peccando mortaliter. Affirmativum eſt, ut obſervemus mandata Ejus ac eum ſuper omnia diligamus.

7. Q. *Quando obligat præceptum Negativum?*

R. Semper pro ſemper, ne DEUM ſummè

mè bonum unquam offendamus.

8. Q *Quando verò obligat præceptum Affirmativum?*

R. 1mò: Circa initium usus rationis 2dò: circa finem vitæ. 3tiò. Quando quis gravi urgetur tentatione præsertim odii DEI, cum periculo consensûs. 4tò Sæpius etiam in vita tenetur homo elicere actum Charitatis DEI. Ita Svarez Disp: 5 Sect: 3. in fine de Charitate.

§. 2.

De Charitate Proximi.

1. Q. *Quem amare debemus post DEUM in terris?*

R. Nosmetipsos & Proximum nostrum.

2. Q *Quis est Proximus noster?*

R. Omnis Homo capax Beatitudinis, sive fidelis, sive infidelis, sive amicus, sive inimicus.

3 Q *Quare præcepit nobis DEUS diligere proximum?*

R. Propter duplicem finem: 1mò quia in ipso relucet DEI imago. 2dò quia sicuti in cælis amabitur DEUS; ùt Beati ad invicem, ita & in terris similis amor debet esse in nobis.

4. Q *Quis Ordo servandus est in dilectione Proximi?* R.

R. Hic Ordo extra extremam necessitatem servari debet. 1mò Succurrendum est Uxori quia una caro est cum Viro 2dò Filiis & Parentibus, Patri tamen præ Matræ. 3tiò Fratribus & Sororibus, deinde Propinquis & Familiaribus. In extrema verò necessitate Parentes, eo, quod vitam dederint, præferendi sunt Filiis. Ita Fel: Pot: t p. 2 n 291.

5. Q. *Quand sub mortali tenemur succurrere Proximo?*

R. In gravi & extrema necessitate.

5. Q. *Quotuplex est necessitas Proximi?*

R. Triplex Communis quâ laborant pauperes. Gravis est, quam patiuntur, qui sunt in periculo gravis mali vg: captivitate, quibus si non succurratur, infallibiliter deberent pati captivitatem, jacturam honoris &c. Extrema est, ex qua imminet periculum vitæ, aut morbi diuturni. In gravi igitur & Extrema necessitate omnia sunt communia, adeoq; tenetur quisq; sub mortali peccato succurrere proximo, inquantum potest.

7. Q. *Ad quid nos obligat Charitas erga Inimicum?*

R. Ex præcepto obligat, ut quilibet homo communia Charitatis signa & beneficia exhibeat inimico. Specialia verò solùm ex consilio; nisi obligatio aliunde oriatur

vg:

vg: ratione ſcandali. Unde ſi mihi occurrerent ſimul amicus & inimicus, æquales mihi peccarem, ſi ſalutarem amicum, & inimicum non, quia oſtenderem manifeſtum ſignum odii.

8. Q. *Quid dicendum eſt de Superioribus in hac materia ?*

R. Illi excuſantur à peccato ſi indiſciplinato ſubdito non tantum ſigna ſpecialia, ſed etiam communia denegent, imo aſperum vultum demonſtrent. Ratio eſt; quia iſta ſigna non ſunt odii, ſed medicinæ.

9. Q. *An ſufficit ſi diligatur inimicus externè per ſigna extrinſeca tantum ?*

R. Non ſufficit, ſed debet diligi ex corde; juxta illud: Diliges Dominum DEUM tuũ ex toto corde tuo, & proximum tuum, ſicut teipſum.

10. Q. *Quot ſunt, & qui effectus Charitatis ?*

R. Sunt quinq; videlicet: Dilectio, Beneficentia, Gaudium, Pax, & Miſericordia. Dilectio eſt illa, quâ alteri per charitatem volumus bonum. Beneficentia eſt, executio ipſius intentionis internæ. Gaudium eſt quies animi in bono præſente & poſſeſſo. Pax eſt, qua noſtra voluntas cum Divina & proximi voluntate concordat. Miſericordia eſt compaſſio in corde noſtro, ſuper miſeria aliena.

11. Q. *Quotuplicia sunt opera Misericordiæ?*
R. Duplicia. Corporalia, & Spiritualia. Corporalia sunt septem & hoc versu includuntur.

Visito, Poto, Cibo, Redimo, Tego, Colligo, Condo.

Scilicet: Visitare detentos, Cibare esurientes. Potare sitientes, Redimere captivos, Operire nudos, peregrinos hospitiô excipere, sepelire mortuos. Opera Misericordiæ Spiritualia itidem sunt septem, & hoc Versu comprehenduntur:

Consule, Castiga, Solatare, Remitte, Fer, Ora.

Scilicet: Dubitantibus rectè consulere, peccantem corrigere, ignorantes docere, afflictos solari, offensam remittere, injurias patienter ferre, pro inimicis orare.

§ 3.

De Correptione Fraterna.

1. Q. *Extatnè alicubi præceptum in S. Scriptura de Correptione Fraterna?*
R. Extat Eccl: 19. & 2. Thess: 3. & Matth: 18

2. Q. *Quid est Fraterna Correptio?*

R. A Valentia Tom: 3. dis. 3. q. 10. cola: 837. dicit: quod sit actus tum misericordiæ tum charitatis, quô quis subvenit necessitati Spirituali Proximi, enitens eum à peccati malo, ad bonum virtutis revocare per convenientem aliquem & idoneum ad id sermonem.

3. Q. *Quotuplex est Correptio Proximi?*

R. Duplex Fraterna & Judicialis. Prima est illa, quæ adhibet remedium peccato, inquantum est quoddam malum ipsius delinquentis, & hæc est actus misericordiæ Spiritualis. Secunda verò est illa, quæ fit à Potestate Publica in bonum Commune, & talis est actus justitiæ vindicativæ.

4. Q. *Quomodo hoc præceptum obligat?*

R. Obligat sub mortali. Ratio est: quia sub mortali tenemur succurrere Proximo extremè & graviter corporaliter indigenti, multò magis Spiritualiter indigenti. Ita DD. Communiter.

5. Q. *Quos obligat hoc præceptum?*

R. Omnes quidem homines usu rationis præditos. Unicuiq; enim mandatum est de proximo suo. Magis tamen illos, quibus ratione Officii vel gubernationis specialis de salute aliorum cura incumbit, uti Prælatis, Superioribus Judicibus.

6. Q. *Quæ requiruntur ut obliget hoc præceptum?*

R.

R. Quatuor: 1mò ut corripiens moraliter sit certus de peccato proximi, secùs temerè ageret. 2dò Ut sit spes fructûs seu emendationis saltem probabilis. 3tiò Ut sit periculum, ne relabatur, vel permaneat in peccato, & ut putetur non aliter facilè emendandus. 4tò Ut non adsit magis idoneus ad corripiendum, qui possit ac velit hoc onus subire.

7. Q. *Quo ordine institui debet Fraterna Correptio ?*

R. Ordine & modo à Christo Domino præscripto Matth: 18. nempè 1mò Ut delinquens secreto corripiatur. 2dò Ut si non audierit præsentibus testibus admoneatur. 3tiò Si se non emendaverit, deferatur Prælato juxta illud: Si te non audierit dic Ecclesiæ.

§. 4.

De Vitiis Charitati oppositis.

1. Q. *Quæ sunt Vitia Charitati opposita ?*

R. Odium, Discordia, Contentio, Scandalum, Schisma, Duellum, Bellum, Seditio, Rixæ.

2. Q. *Quid est Odium ?*

R. Est aversio voluntaria à DEO, vel proximo sub specie mali, vel nocivi repræsentato.

3. Q. *Quid est discordia?*

R. Est, quâ quis voluntati alterius de Bono Divino vel humano ex intentione contrariatur

4. Q. *Quid est Contentio?*

R. Est Vitium inclinans ad inordinatè altercandum.

5. Q. *Quid est Seditio?*

R. Est dissensio animorum inter Cives seu Congressus paucorum contra paucos, vel partis Communitatis contrà partem.

6. Q. *Quid est Bellum?*

R. Est conflictus armorum authoritate Principis superiorem non recognoscentis indictus. Seu est congressus multorum contra multos.

7. Q. *Quæ est differentia Belli à Rixa, & Seditione?*

R. Hæc est, quia Bellum est congressus multitudinis contra extraneos, Seditio autem multitudinis contra multitudinem ejusdem Communitatis, Rixa vero paucorum vel singulorum contra paucos vel singulos.

Nota. Bellum si vestitum sit debitis & justis conditionibus licitum est ex natura sua. Ad Bellum justum tres requiruntur Conditiones *1ma*: Authoritas Principis Superiorem non recognoscentis. *2da*: Justa Causa. *3tia*: Recta intentio.

8. Q.

8. Q. *Quid est Scandalum?*
R. Est dictum vel factum minus rectum præbens alteri occasionem ruinæ Spiritualis.

9. Q. *Quotuplex est Scandalum?*
R. Duplex. Activum & Passivum. Primum est dictum vel factum scandalizans alios. 2dum est ipsa Spiritualis ruina in proximo

10. Q. *Quotuplex est Scandalum Passivum?*
R. Duplex. Pusillorum, & Phariseorum. Pusillorum est, quod ex ignorantia hominis vel fragilitate provenit. Pharifeorum est, quod ex mera malitia alterius ortum habet

11. Q. *Quid est Duellum?*
R. Est pugna singularis duorum vel plurium ex privato motivo & ex mutuo condicto, ad certum tempus, ac locum designata & facta.

12. Q. *Quæ sunt pænæ duellantium?*
R. Omissis illis, quæ sunt à jure Civili statutæ. In Concil: Trid: Sess: 25. Cap: 19. de Reform. Talibus injuncta est *1mò* Excommunicatio. *2dò*: Omnium Bonorū suorum proscriptio. *3tiò*: Perpetua infamia. *4tò*: Si in ipso conflictu decesserit, privatio Ecclesiasticæ Sepulturæ. Quæ priores tres pænæ extenduntur etiam ad ipsos Patrinos, sive ut Poloni vocant Secun-

cundantes. Item Excommunicationem incurrunt 1mò: Dantes consilium ad Duellū faciendū 2dò: spectatores ex proposito. 3tiò: Principes concedentes locum ad Duellum. Ita Pikulski Parte 2. sect: 3. art: 4. n. 34. ab hac tamen Excommunicatione absolvi poterunt in foro externo ab habente facultatem absolvendi à reservatis Papæ solius

13. Q. *Quando sunt liberi à Censura Ecclesiastica Duellantes?*

R. 1mò. Quando non præfinitur tempus in invitatione, sed solùm locus, & è contra. 2dò: Dum determinatur locus & tempus non tamen Duellum fit armîs, sed pugnîs. 3tiò: Etsi determinatur locus, tempus, & arma ferantur, dummodo provocatus non accedat. Ita R.P. Felix Potestas. Exam: Confess: Tom: 1. part: 2. num: 2136. citans alios. & Billuart S. T. D. Ord: S. Domi: in Summa S. Thomæ Tract: de Charitte. art: 5. §. 3. de Duello. Franciscus Preiss Exam: Trin: Cap: 7. §. 17. citans Leza: Salmat.

14. Q. *An incurrant pœnas Duelli, qui in Rixa, & calore iracundiæ inimicum ad Duellum invitat, & statim ad locum aptum accedentes simul pugnant?*

R. Non, quia non pugnant præmeditatè, & ex prævia conventione, sed ex subito

calo-

calore iracundiæ. adeoq; non ex condicto. ita citatus Felix Poteſtas locô ut ſupra num: 2135 allegans plures Authores Tunc autem Sanchez lib: 2. dec: c. 39. n 8. & aliis ſentit fieri Duellum ex iracundiæ calore, quando inter invitationem, & acceptationem ad pugnam, nullus actus medius interceſſit.

15. Q. *Mortuus in Duello ubi ſepeliendus?*

R. Mortuus in acie Duelli, vel eſto ex loco Duelli transferatur in alium, die eadē, dederitq; ſigna pænitentiæ, non eſt ſepeliendus in loco ſacro Ita Paulus V. in ſuo Decreto Si verò uno vel altero die poſt moriatur Sacramentis munitus; ſepeliendus eſt in loco Sacro. Ita P. Pikulſki Parte 2 ſect: 3 art: 4. num: 35.

De Rixis vide Tract: 3. ubi de Filiabus Iræ.

De Schiſmate. Tract: 4. Cap. 1. §. 9. num: 1.

TRACTATUS V.
De Religione & Vitiis oppositis.
§. I.

1. Q. *Quid est Religio?*
Est Virtus inclinas hominem ad reddendum Cultum DEO debitum, tanquam omnium rerum principio.

2. Q. *Quod est Objectum materiale Religionis? seu Objectum* quod?
R. Non est DEUS Ipse, nequè Ejus Bonitas, sed ipsemet cultus DEO debitus exhibendus.

3. Q. *Quod est Objectum Formale Religionis?*
R. Est ipsamet Divina Excellentia.

4. Q. *Quotuplices sunt Actus Religionis?*
R. Duplices Interni & externi Interni sunt qui solâ mente interiùs perficiuntur, ùt Oratio, Devotio. Externi sunt, qui in opus externum prodeunt, ùt Adoratio, Sacrificium &c.

5. Q. *Quid est Devotio?*
R. Est prompta & parata voluntas ea exequendi, quæ spectant ad Cultum Divinũ; seu est: Actus Voluntatis hominis offerentis seipsum ad serviendum DEO.

6. Q. *Quid est Oratio?*
R. Est rationabilis alicujus boni à DEO postulatio.

7. Q. *Quotuplex est Oratio?*

R. Duplex: Mentalis, & Vocalis. Mentalis est, quæ non voce, sed mente formatur. Vocalis est, quæ formatur distinctis verbis ad extrà prolatis exprimentibus pium internum desiderium nostrum ad DEUM.

8. Q. *Quotuplex est adhuc Oratio?*

R. Duplex: Publica & Privata. Privata est, quæ nomine totius populi Fidelis, per Ministros Ecclesiæ DEO offertur, ut vg: Missa, Horæ Canonicæ, Officium B. V. Mariæ, Defunctorum, Psalmi Pœnitentiales & Graduales &c. Privata Oratio est, quam singuli privatim quôcunq; modô decenti peragunt.

Nota *1mò*: In Oratione tria debent observari. *1mò* Desiderium nostrum, quô bonum aliquod nobis, aliisq; conferri, vel malum averti cupimus. *2dò* Hujus desiderii practica quædam explicatio quâ DEUM conamur inducere ac permovere, ut id præstet pro quo rogamus. *3tiò* Collatio boni desiderati quod exoratur à DEO.

Nota *2dò*: Ad Orationem quatuor debent concurrere conditiones. *1ma*: Ut Oratio fiat pro seipso vel pro aliis. *2da*: Ut petantur necessaria ad salutem. *3tia*: Ut Oratio sit pia, scilicet actus virtutis Religionis. *4ta*: Ut perseveranter oremus

Nota

Nota *3tiò*: Oratio eſt neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medii & præcepti. Ita Babenſtuber Tract: 5 Diſp: 2. art: 2. n. 4. cum aliis.

Nota *4tò*: Præter DEUM, orandi ſunt Sancti in Cælis. & juſti in terris reſpectivè tanquam Patroni & Interceſſores Ibidem.

Nota *5tò*: Oratio fieri poteſt pro omnibus, qui in ſtatu viæ præſentis exiſtunt vg: pro converſione peccatorum. & pro animabus Purgatorii, ſed non pro damnatis.

9. Q. *Quid eſt Sacrificium ?*

R Eſt Oblatio externa rei permanentis DEO exhibitæ quâ ſignificatur Supremũ Dominium, atq; Excellentia DEI. & ſubjectio Sacrificantis ad ipſum mediante aliquâ ipſius rei oblatæ deſtructione, ſeu immutatione.

10. Q *Quid eſt Oblatio ?*

R Eſt ſpontanea alicujus rei ad Cultum Divinum donatio.

11. Q *Quid ſunt Primitiæ ?*

R. Sunt primi fructus Agrorum, Hortorum &c. DEO utpotè noſtro Largitori in ſignum gratitudinis. noſtræq; ſubjectionis oblati In animalibus verò Primitiæ aliô nomine vocantur Primogenita.

12. Q *Quid eſt Decima ?*

R. Eſt pars decima omnium fructuum juſtè acquiſitorum DEO in recognitionem

Uni-

Universalis sui Dominii debita, atq; Ministris Ecclesiæ quotannis exsolvenda

13. Q *Quid est Adiuratio ?*

R. Est rei Sacræ contestatio ad permovendum alterum. & hæc fit præcipiendo, vel deprecando.

14. Q *Quid est Laus :*

R. Est præconium Populi, de aliquo recta loquentis.

15. Q *Quid est Adoratio ?*

R Est præstantissimus Religionis actus per quem reveremur Supræmam DEI Majestatem nosq; illi quanta possumus Corporis & Animi demissione subjicimus. Vel, est actus, quô quis alteri se submittit in recognitionem suæ Excellentiæ.

16. Q *Quotuplex est Adoratio ?*

R. Duplex Interna & Externa. Prima est Cordis ac mentis humilis ac sincera alteri submissio. 2da autem est externa reverentia alteri exhibita ut vg: Genuflexio, Prostratio. Inclinatio.

17. Q. *Quotuplex est adhuc Adoratio ?*

R. Duplex. Merè Civilis seu Politica, qualis exhiberi solet Regibus Principibus &c. & Sacra sive Religiosa, quæ cuipiam exhibetur ob Excellentiam suam Sacram & Supernaturalem.

18. Q. *Quot sunt species Sacræ Adorationis ?*

R. Tres. Latria, Hyperdulia, & Dulia.

19. Q. *Quid est Adoratio Latriæ?*

R. Est Cultus Religionis Summus, quô DEUM Trinum & Unum cognoſcimus & veneramur, ut Supremum omnium Dominum. Eodem Cultu adoramus Chriſtum DEUM & hominem, qui abſolutè eſt Perſona Divina. Et ſimiliter SS. Euchariſtiam.

20. Q. *Quid eſt Adoratio Hyperduliæ?*

R. Eſt Cultus, quô infra DEUM, & ſuper omnes Sanctos etiam Angelos veneramur B. V. Mariam.

21. Q. *Quid eſt Adoratio Duliæ?*

R. Eſt Cultus Sanctis debitus propter Sanctitatem ſive Excellentiam ex Suprema DEI Excellentia participatam.

22. Q. *Quotuplex eſt adhuc Adoratio?*

R. Duplex Abſoluta & Reſpectiva. Abſoluta eſt illa, quâ colitur quis ob perfectionem, atq; excellentiam ſibi intrinſecam. Reſpectiva, quâ quis adoratur & colitur propter excellentiã alterius, quã repræſentat; ut Sacræ Imagines honorantur.

23. Q. *Quotuplex eſt Objectum Adorationis?*

R. Duplex, Materiale, & Formale. Objectum Formale, eſt ipſa ratio, propter quam aliquid adoratur. Materiale verò, eſt ipſamet res, ſeu Perſona adorata. Sic dum Chriſtum adoramus Cultu Latriæ,

Ipſe-

Ipſemet Chriſtus eſt Objectum materiale adorationis; Divinitas verò Chriſti eſt Objectum Formale.

Nota *1mò*: Solus igitur DEUS Unus & Trinus adorandus Cultu Latriæ. Etiam Chiſtus Dominus ut Homo adorandus eſt Cultu Latriæ abſoluto. Ita D. Thom 3. part: q 25. art. 2

Nota *2dò*: Beatiſſima Virgo Maria adoranda eſt Cultu Hyperduliæ abſeluto. Ita tota Ecclesia Catholica contra Boezam, & alios Sectarios Marycmaſtyges.

Nota *3tiò*: Crux Chriſti adoranda eſt Cultu Latriæ Reſpectivo Reliquiæ Sanctorū adorandæ & colendæ ſunt Cultu reſpectivo. Ita Trid: Seſſ: 25.

Nota *4tò*: Imagines Chriſti, B. V Mariæ & Sanctorum eo cultu adorandæ ſunt. quô eorum Protothypa. Ita S. Thom: 3. parte quæſt: 25 art: 3. & cum eo Cajetanus Labat. Capreolus.

§. 2.

De Vitiis Religioni Oppoſitis.

Vitia Religioni oppoſita ſecundùm S. Thom: 2. 2 quæſt: 92. art: 1. alia eſſe per exceſſum, alia per defectum, & continentur vel ſub Superſtitione, vel ſub Irreligi-

ligiositate. Hoc §. agemus de Superstitione. ejusq; Speciebus. In altero §. de Irreligiositate. ejusq; Speciebus.

1. Q. *Quid est Superstitio ?*

R. Est vitium Religioni oppositum per excessum, quô vel DEO Cultus indebitus, vel Creaturæ cultus DEO debitus exhibetur.

2. Q. *Quot sunt Spescies Superstitionis?*

R. Duæ *1ma* est spes Superstionis ratione rei cultæ, quæ coli non deberet. *2da* est ratione Cultus incongrui dummodô indebitô seu inconvenientî DEUS verus colitur. *1ma* Species Superstitionis ex parte rei cultæ subdividitur in Idololatriam, Divinationem, Vanam observantiam, & Magiam. *2da* Species ratione Cultus incongrui subdividitur in Superstitionem falsi Cultûs. & superflui Cultûs.

3. Q. *Quid est Idololatria ?*

R. Est Species Superstitionis, quâ Divinus honor tribuitur Creaturæ alicui, sicut DEO. Ita omnes Catholici teste Valentiâ Tom: 3. disp. 6. q 11. num: 1.

4. Q. *Quotuplex est Idololatria latè sumpta ?*

R. Duplex. 1ma *Strictè talis* seu propria, ùt mox dicemus. & talis est, quâ Cretura colitur loco DEI. 2da *Metaphorica*, quæ est omne peccatum, cui mortiferè

inhæ-

inhæret Creatura, & hoc ſenſu Avaritia vocatur: Servitus Idolorum Phil 5.

5 Q. *Quotuplex eſt Idolatria* Strictè talis?

R. Triplex. Scilcet perfecta, imperfecta, & ſimulata. Ita Laym. lib: 4. tract: 10. cap. 1 num. 5.

6. Q *Quid eſt Idololatria perfecta* ?

R Eſt quâ quis cultum exhibet Idolo, quia falsò xiſt mat id eſſe DEUM.

7. Q. *Quid eſt Idololatria imperfecta* ?

R. Eſt, quâ quis ſciens Idolo ſive cu cunq; alteri Cræaturæ nullam ineſſe Divinitatē, nihilominùs vg: odiô, adverſus DEUM, vel cupiditate obtinendi à Dæmone, aliavè Creatura, eidem cultum externum, ſicut Deo exhibet.

8. Q *Quid eſt Idolatria ſimulata* ?

R. Eſt illa, quâ qu s ob metum Tyranni, vel populi, externum cultum DEO debitū exhibet Idolo, abſq; eo quod recognoſcat in illo Divinam excellentiam, vel habeat internum affectum colendi Idolum.

9. Q *Quid eſt Divinatio* ?

R. Eſt ſpecies Superſtitionis, quâ ex pacto implic to, vel explicito cum Dæmone, occulta prædicuntur, vel manifeſtantur.

10. Q *Quotuplex eſt Divinatio* ?

R Duplex Una eſt, in qua habetur invocatio, vel pactum expreſſum cum Dæmone, & hæc vocatur generalî terminô

Necro-

Necromantia. Altera eſt, in qua habetur invocatio, & pactum tacitum, ſeu inerpretativum ima eſſe ſolet, cum Dæmon per ſe docet occulta, vel per Pytones, Arreptitios, Præſtigias, aut per Perſonas mortuorum apparentium, vel alia ſigna in àére, aqua, igne, ſpeculis &c ada ſolet fieri, dum ex lineamentis corporis, vocibus garritu avium, & ſimilibus, quibus ſe Dæmon immiſcere ſolet, quæritur cognitio.

11. Q *Quæ univerſaliter continent Divinatione?*

R. Illa omnia, quorum attentâ naturâ nullam habet connexionem cum effectu, ut vg: ſi quis ex adventu Sacerdotis in partu mulieris dicat moriturum infantem.

12. Q. *Quid eſt vana Obſervatio ?*

R. Eſt ſpecies Superſtitionis, quâ adhibentur media inutilia ad aliquid præſtandum vel impediendum ad quod à DEO vel natura nullam virtutem habent.

13. Q *Quotuplex eſt vana Obſervantia ?*

R. Eſt Duplex ſicuti & Divinatio, una cum pacto implicito, altera cum explicito Dæmonis,

14. Q *Quid es Ars notoria ?*

R Eſt, cum quis per precationes quasdam verborum ignotorum, inſpectiones certarum figurarum, & cætera media inutilia prorſus, expectat ſcientiam infuſam quarun-

rundam rerum absq; ullo labore.

15. Q. *Quod sunt species Vanæ Observantiæ?*
R. Quatuor. 1ma Ars notoria. 2da Observantia eventuum. 3tia Observantia sanitatum 4ta Magia.

16. Q. *Quid est Observantia eventuum?*
R. Est illa, quâ ex consideratione alicujus eventus conjicitur quid sit futurum, vg: ex occursu leporis in via felicitas itineris prognosticatur.

17. Q. *Quid est Observantia Sanitatum?*
R. Est illa, per quam adhibentur media inania ad sanandos morbos hominum vel brutorum.

18. Q. *Quid est Magia?*
R. Est illa, quæ versatur circa corpora variè immutanda, aliosq; effectus mirabiles.

19. Q. *Quotuplex est Magia?*
R. Duplex. Naturalis, & Superstitiosa. Magia naturalis, est ratio quædam operandi per causas naturales absq; ope Dæmonis. Magia hæc etsi mala non est, tamen ut periculosa cavenda. Superstitiosa verò Magia est ratio quædam operandi mira per signa ope Dæmonum.

20. Q. *Quos habet fines Superstitiosa Magia?*
R. Tres. 1mus est Ostentatio sui. 2dus Commodum proprium vel alienum. 3tius Noxa alteri inferenda; & hoc vocatur

pro:

propriô vocabulô Maleficium, vel Vene fi ium.

Nota *1mò* Maleficium tunc fit, quando noxa infertur incantationibus, seu carminibus, characteribus, aliisq; signis ex pacto cum Dæmone inito.

Nota *2dò* Veneficium verò fit quando malis pharmacis, sive venenis noxa alteri infertur.

Nota *3tiò* Omnes hæ species sunt ex genere suo peccata mortalia.

§. 3.

De Vitiis per Defectum sub Irreligiositate contentis.

Irreligiositas oppositum Vitium Religioni per defectum, tendit directè ad irreverentiam DEI, vel rei DEO Sacratæ.

1. Q. *Quid est Irreligiositas?*
   R. Est defectus Cultûs DEO debiti.
2. Q. *Quot sunt species Irreligiositatis?*
   R. Sunt singulariter Quatuor: Tentatio DEI, Sacrilegium, Blasphemia, Simonia.
3. Q. *Quid est Tentatio?*
   R. Est dictum vel factum ad capiendum de aliquo experimentum quantæ sit potentiæ &c.
4. Q. *Quotuplex est Tentatio?*

R. Du-

R. Duplex. Tentatio probationis, & seductionis 1ma est omne verbum, vel factum ad capiendum experimentum de aliquo, cujus sit qualitatis, & virtutis? & hôc modô dicitur DEUS tentasse Abraham Job &c. 2da est inductio alicujus ad peccatum, & tali tentatione tentat Dæmon homines, dum eos ad malum seu peccatum inducit.

5 Q. *Quid est Tentatio DEI?*

R. Est dictum vel factum, quô quis absq; justa causa vult habere experimentum de aliquo DEI attributo vg: Omnipotentia, Justitia &c. Ita S. Thom. 2. 2. q. 97. a. 1.

6. Q. *Quotuplex est Tentatio DEI?*

R. Duplex Formalis seu expressa, & Interpretativa seu implicita.

7. Q. *Quid est Tentatio DEI expressa?*

R. Est species Irreligiositatis, quando quis expresse dubitans de aliqua perfectione DEI aliquid dicit, vel facit animô explorandi eandem, ut si quis in puteum se præcipitet, experturus, an DEUS sit ita misericors, ut illum mergi non sinat.

8. Q. *Quid est Tentatio DEI implicita?*

R. Est quando quis ex alio fine facit aliquid, quod requirit extraordinarium auxilium DEI, illudq; temerè expectat, ut si se quis igni immittat, confidens se non comburendum.

9. Q. *Tentatio DEI estnè peccatum?*
R. Ex genere suo peccatum mortale, sive tentatio sit formalis sive interpretativa. Ita Layman tract: 5. disp: 2. a. 5. §. 1. n. 8.

10 Q. *Quid est Sacrilegium?*
R. Est violatio, seu indigna tractatio rerum Sacrarum.

11. Q. *Quòtuplex est Sacrilegium?*
R. Triplex. Personale, Locale, & Reale.

12 Q. *Quid est Sacrilegium Personale?*
R. Est Violatio seu indigna tractatio Personæ Sacræ; huc spectat percussio Clerici, fornicatio in t ati Ordine Sacro, sive Religiosi, & cujuslibet Votum Castitatis habentis. It m tractio Personarum Ecclesiasticarum ad Tribunal Sæculare, & exactio stributorum ab illis &c.

13. Q *Quid est Sacrilegium Locale?*
R. Est violatio seu indigna tractatio loci Sacri, quæ fit per malitiosam Ejus destructionem, aut invasionem, per injuriosam Sangvinis humani, aut seminis effusionem, per extractionem reorum ad illum confugientium &c.

14. Q *Quid est Sacrilegium Reale?*
R. Est violatio seu indigna tractatio rerum Sacrarum. Sunt autem res Sacræ imprimis Sacramenta, deinde Vasa Sacra, Vestes benedictæ, Reliquiæ & Imagines Sacræ &c.

15. Q. *Sacrilegium quale est peccatum?*
R. Ex genere suo est peccatum mortale, per accidens tamen potest esse veniale vg: in aliqua inhonoratione & dilaceratione Imaginum secluso contemptu.

16. Q. *Quid est Blasphemia 3tia species Irreligiositatis?*
R. Est contumeliosa in DEUM locutio.

17. Q. *Quotuplex est Blasphemia?*
R. Duplex. Hæreticalis, & non Hæreticalis. Hæreticalis, est locutio contumeliosa contra DEUM continens errorem fidei. Simplex verò & non hæreticalis est, illa locutio contra DEUM, quæ nihil contrariū affirmat fidei, sed solū verba injuriosa in DEUM & Sanctos enuntiat. Blasphemia semper est peccatum mortale, & in illa non datur parvitas materiæ.

18. Q. *Quæ est 4ta Species Irreligiositatis?*
R. Simonia. Quæ est studiosa Voluntas, emendi vendendi aliquid Spirituale, vel Spirituali annexum, pretiô temporalî. Ita S. Thom: 2. 2. q. 100. art: 1.

19. Q. *Quotuplex est Simonia?*
R. Duplex. Alia est Juris Divini sive naturalis, & alia Juris Positivi sive Ecclesiastici.

20. Q. *Quid est Simonia Juris Divini, sive naturalis?*
R. Est illa, res quô de se ac propriè Spiritu-

ritualis emitur vel venditur pretiô temporalî, ut vg: emptio vel venditio Hostiæ consecratæ.

21. Q. *Quid est Simonia Juris Positivi, sive Ecclesiastici?*

R. Est illa, quâ res non propriè Spiritualis, sed solùm remotè, aut accidentaliter annexa rei Spirituali emitur vel commutatur pretiô temporali, vg: venditio Beneficii prohibita ab Ecclesia.

22. Q. *Quotuplex est adhuc Simonia?*

R. Triplex. Mentalis, Conventionalis & Realis. Mentalis est illa, cum datur Spirituale pro re temporali sine pacto & conventione explicita, sed solùm mente concepta. Conventionalis est, in qua extrinsecè convenitur de pecunia & venditione, sed adhuc non est secutus effectus ex utraq; parte. Realis est, quando pactum ex utraq; parte est executioni mandatum. Seu quæ præter pactum involvit traditionem ex utraq; parte.

23. Q. *Quotuplex est adhuc Simonia Conventionalis?*

R. Triplex. Alia est pure Conventionalis, alia mixta, alia Confidentialis. Purè Conventionalis est illa quæ ex neutra parte est completa, ut vg: si pactum fuit initum conferendi Beneficium Ecclesiasticum pro certâ pecunia, adhuc tamen

neq; Beneficium collatum, nec pro illo pecunia data. Mixtum est illa, quæ completa est solùm ex una parte: sivè dando pretium nondùm collato Beneficio, sivè è contra. Confidentialis est illa quâ cuipiam procuraturBeneficiũ Ecclesiasticũ eligendo, resignando, præsentando aut aliâ ratione cum certa confidentia seu pacto inito. vg: si is, qui Beneficium accepturus est, illud ipsum sibi procuranti, vel alteri Fratri, vel Nepoti cum fructibus cedat. Et hæc damnata est à Pio V. in Bulla. Intolerabilis

24. Q. *Quid est pretium Simoniacum?*

R. Est aliquid temporale datum pro Spirituali, & hoc vocatur munus.

25. Q. *Quotuplex est Munus Simoniacum?*

R. Triplex Munus à manu, Munus à lingva. Munus ab obsequio. Munus à manu est omnis res pretiô æstimabilis, non solùm pecunia pro re spirituali oblata. Munus à lingva, sunt laudes, preces, recommendationes apud Principem vel Populum propter obtinendum Beneficium. Munus ab obsequio, sunt servitia & obsequia temporalia cuipiam præstita vel præstanda sub pacto seu obligatione Beneficii Ecclesiastici collati, seu conferendi; & è contra.

Nota 1mò. Simonia est ex genere suo peccatum

tum mortale, & in illo non datur parvitas materiæ.

Nota *2dò.* Simoniacus realis incurrit pœnas Ecclesiasticas nempè Excommunicationem Papæ reservatam, suspensionem & Interdictû, juxta Declarationem Sixti V.

Nota *3tiò* Simonia etiam Confidentialis completa, nimirum: datô vel acceptô Beneficiô (etsi accipiens nondum impleverit promissionem) utramq; partem ipsô factô subiicit Excommunicationi Papali.

Nota *4tò* Simoniacus, qui interventu muneris, id est pecuniæ seu pretii, Spiritualia quæcunq; assequitur, ea licitè retinere non potest, sed tenetur restituere jure naturæ. Ita S. Doctor a 6.

Nota *5tò.* Beneficium Simoniacè acceptum (nisi Dispensatio, vel potius nova ejus collatio obtineatur) resignandum est ad manus Collatoris, fructusq; omnes hujus Beneficii restituendi, quos Simoniacus percipiebat, deductîs solùm expensis quas fecit, vel causa fructuum, vel in utilitatem Ecclesiæ.

Regulæ dignoscendi, An Simonia committatur in collatione Beneficiorum.

1. Simoniam committit is, qui pretium dat, vel accipit pro Beneficiorum collatione, resignatione, confirmatione &c.

2. Qui

2. Qui fundum, cui annexum est Jus Patronatus Laici, pretio ulteriori vendit, & emit præcisè, qui illud Jus annexum habet.
3. Qui amico Collatoris Electoris, aut Præsentarios pretium, vel aliud munus dat vel promittit, ut ab eo cõmedetur, & operâ illius Beneficium obtineat.
4. Qui pretiô acceptô cedit juri dubio, quod habet ad Beneficium, ùt si duo litigent.
5. Si Petrus vg: resignet Beneficium Paulo Fratri Annæ, ut ipsam recipiat uxorem.
6. Peccunia &c. datà pro collatione Beneficii à Parentibus vel aliis in favorem Beneficiati, ipsô consciô facit, ut Simoniaci sint & Donatores & Beneficiatus. Ita Hiegen: in Tribunali Confess: cap: 7. de Simonia fol: 172. §. 3.

TRACTATUS VI.

De Horis Canonicis, Juramento, & Voto.

§. I.

De Horis Canonicis.

1. Q. *Quid sunt Horæ Canonicæ?*
R. Sunt Preces Vocales certis horîs juxta Canones ab Ecclesiasticis Personis nomine Ecclesiæ DEO persolvendæ. Et aliter vocantur Divinum Officium.

2. Q. *Quotuplex est Divinum Officium?*
R. Duplex Diurnum & Nocturnum.

3. Q. *Quot constat horis totum Divinum Officium?*
R. Septem. Sequenti Versu Mystico expositis:

Hæc sunt Septenis, propter quæ psallimus horis.
Matutina ligat Christū, qui crimina purgat.
Prima replet Sputis, Causam dat *Tertia* mortis.
Sexta Cruci nectit, Latus Ejus *Nona* bipertit
Vespera deponit, tumulo *Completa* reponit.

4. Q. *A quo? & quando institutæ sunt Horæ Canonicæ?*

R. Ab

R. Ab Ecclesia, sive ab Apostolis, quarum usus in Ecclesiis ulteriori tempore præceptus fuit à Gelasio Papa, & augmentatus à Gregorio Magno. Ita Schnel: Parte 2. tract: 1. Th. Moral s num. 124.

5. Q. *Quale est præceptum recitandi Divinum Officium?*

R. Præceptum Ecclesiæ.

6. Q. *Qui tenentur recitare Horas Canonicas?*

R. 1mò Omnes Clerici in Sacris Ordinibus constituti licet nullum habeant Beneficium Ecclesiasticum. patet ex C. finali. Si quis Presbyter aut Diaconus 2dò Clerici initiati minoribus Ordinibus, si habent sufficiens Beneficium pro honesta sustentatione. Concil: Lateran: sub Leone X. Sess: 9. cap: 9 3tiò Omnes Regulares Professi utriusq; sexus, qui ad Chorum sunt deputati.

7. Q. *Innodati Censuris Ecclesiasticis & pœnis vg: Excommunicationis, Suspensionis, Depositionis aut Degradationis suntnè liberi à recitatione Divini Officii?*

R. Non, quia ex delicto suo reportarent commodum.

8. Q. *Peccantnè prædicti, si omittant aliquā Horam?*

R. Si id ex negligentia faciant, peccant mortaliter; venialiter verò, si unum Psalmum vel Hymnum negligant propter par-

vitatem materiæ, nisi id sæpius contingat. Beneficiati verò præter peccatum mortale, tenentur in Conscientia restituere fructus correspondentes tali negligentiæ ut vg: Si omiserint integrum diei Officiũ, privantur fructibus totius diei, si Matutinum ? medietate.

9. Q. *Cui debet fieri Restitutio ?*

R. Ecclesiæ; vel pauperibus, ùt declaravit Gelasius Papa.

10. Q. *Qui excusantur ab Horis ?*

R. 1mò Constitutus in Sacris, si ex dispensatione Pontificis ducat uxorem, deobligatur à Horis post dimissum habitum. Ita Sanchez apud Tamburinum 2dò Damnati ad Triremes & Captivi apud Infideles Ita Tambur. 3tiò. Infirmitate notabili laborantes Ita Bonacina & Tamburinus. quos citat Mazotta. Tract: 2. de præcept: Decal & Ecclesiæ §. 3. q. 2.

11. Q. *Communitas Canonissarum Sæcularium teneturnè recitare Horas Canonicas ?*

R. Ubi est in usu recitatio Horarum, tenetur sub mortali, quia videtur obligari partim ex consvetudine, partim quia habet fundatos reditus præbendis quodamodo affines. Ita Thiegen in suo Epithome. cap: 8. de Religione. fusius de his Wigant.

12. Q. *Infirmus, qui non potest totum recita-*

re

re Officium, teneturnè partem?

R. Si possit recitare Matutinum vel aliam integram Horam, tenetur; si verò solum Hymnum, vel unum alterumvè Psalmum, ad nihil tenetur

13. Q. *Qui non potest per se, teneturnè recitare per alium?*

R. Non tenetur; quia onus dicendi Horas est Personale.

14. Q. *Qui non habet Breviarium, nisi Diurnum, ad quid tenetur?*

R. Tenetur dicere id quod potest.

15. Q. *Quô Breviario utendum?*

R. Ex Jure novô utendum est Breviariô Romanô ex recognitione Urbani VIII. Carthusianus verò & Dominicanus aut Benedictinus nequit uti Romanô, vel aliô quôpiam, quia suum & non aliud pro sua Religione est approbatum; nisi fortè proprium non suppetat.

16. Q. *Ad recitandas Litanias Diebus S. Marci & Rogationum, & Officium Defunctorum in Die Animarum obliganturnè sub peccato mortali?*

R. Duplex est Sententia. Svarez & Schnel par: 2. tract: 1. Theologiæ Moral: num: 170. judicant peccare mortaliter omittentes. Pater verò La Croix n. 1289. & Gobat tract: 5. n. 614. & alii, solum venialiter censent peccare eosdem.

17. Q. *Quomodo recitari debet Divinum Officium?*

R. Attentè, Clarè, & Devotè.

18. Q. *Quid est Attentio?*

R. Est applicatio animi ad opus, quod peragitur.

19. Q. *Quotuplex est Attentio?*

R. Duplex. Interna, quæ consistit in advertentia ad illud, quod fit; & Externa, quæ consistit in exclusione actionis externæ incompossibilis cum attentione interna.

20. Q. *Quæ ex his requiritur ad Divinum Officium attentè recitandum?*

R. Interna, & non sufficit externa; DEUS enim conqueritur contrà taliter orantes Matth: 15. Populus hic labiîs me honorat, cor autem eorum longè est à me.

21. Q. *Quotuplex est Attentio interna?*

R. Triplex. Ad verba materialiter sumpta. Ad sensum per Verba significatum. Et ad DEUM, quatenùs Illum laudare & colere intendimus.

22. Q. *In recitatione Divini Officii, quæ ex his est necessaria?*

R. Est necessaria simpliciter ad DEUM, & ad verba materialia, non autem ad sensum, alias Rudes, & Moniales non satisfacerent.

23. Q. *Quomodo Officium Divinum clarâ voce est recitandum?*

R. In

R. In Choro & alternatim cum Socio recitando; si autem recitatur Divinum Officium privatim ab aliqua Persona Ecclesiastica extra Chorum ita illud dicere debet, ut audiatur à Seipso.

24. Q. *An peccent, qui in Choro clarâ voce non cantant, etiamsi possunt?*

R. Peccant

25 Q. *Quomodo devotè recitatur Divinum Officium?*

R. Tunc, quando cum modesta corporis & animi compositione persolvitur.

26. Q. *Quid sentiendum de istis, qui intra Horas Canonicas loquuntur, rident?*

R. Tales peccant mortaliter, si id voluntariè faciunt; magis adhuc si cum scandalo Juniorum. Ita Pikulski Part: 1. sect: 6. a 3. n. 15.

27. Q. *Quomodo adhuc recitandum est Divinū Officium?*

R. 1mò Ex Declaratione Innocentii III. in caput Dolentes de celebratione Missam recitandum est studiosè, quantum ad Officium oris (ut notat Glossa) id est integrè, distinctè, clarè &c. Et devotè quantùm ad Officium Cordis, id est, ut recitetur cum debita attentione, & intentione.

Nota 1mò Officium Divinum debet recitari integrum, hoc est, ut non modò nihil omitta-

mittatur, ſed etiam omnia verba pronuntientur intelligibiliter Syllabæq; non mutilentur.

Nota 2dò Recitandum quoquè eſt ſine interruptione exceptâ neceſſitate, ut dum vg: Sangvis ex naribus fluit, aut Aram pro obſequio pergit aliquis ex Choro &c.

Nota 3tiò Recitandum eſt itidem ordinatè, juxta ordinem ab Eccleſia præſcriptum, nimirum, ut recitetur prius Matutinum deinde Laudes, tandem Prima, Tertia, Sexta, Nona, Veſperæ, Completorium.

Nota 4tò Recitandum eſt tempore præſcripto, vel à Jure Eccleſiaſtico, vel à Conſvetudine. Tempus autem eſt à media nocte ad mediam noctē intertenens ſpatium 24. horarum completum.

Nota 5tò Recitandum eſt in Choro Divinum Officium ſi fieri poteſt, ſecus in quolibet loco honeſto, imo juxta Svarez & alios, in loco etiam ſordidiſſimo. Conſultius tamen eſt in ſimilibus locis non recitare ob indecentiam vel ſcandalum.

Nota 6tò Servandus eſt quoq; in Choro tempore Divini Officii ſitus corporis ſecundùm Rubricas præſcriptus, ſtandi, ſedendi, genu flectendi, quæ tamen extra Chorum non obligant ſub præcepto recitantes Divinum Officium.

Nota 7mò Recitantes Divinum Officium innodati

dati Censuris, & pœnis Ecclesiasticis omittere tenentur: Dominus vobiscum, ante & post Orationem Festi vel Feriæ.

Nota 8vò Quotiescunq; in Divino Officio non sequitur versus: Dominus vobiscûm. Benedicamus Domino &c. toties brevî clausulâ terminari debet eadem Oratio. vg: per Christum Dominum nostrum. Vel: Qui vivis & regnas per omnia sæcula sæculorum.

Nota 9nò Licet non sit de Essentia, ut ante Missam recitetur Matutinum, neq; obligat sub peccato mortali, est tamen convenientius, ut prius recitetur Divinum Officium, Ita Reifenstuel.

Nota 10mò Quando particulariter recitatur Matutinum, vel Completorium ab uno petendo Benedictionem debet dicere: Jube, Domne benedicere. Juxta Merati part: 2. tit: 6. n. 4. affirmat Macrius.

Nota 11mò Recitantibus post Officium flexîs genibûs: Sacrosanctæ:. &c. concessit Leo X. Indulgentiam omnium defectuum & culparum ex humana fragilitate in eo persolvendo contractarum.

§. 2.

De Juramento.

1. Q. *Quid est Juramentum?*

R. Est

R. Est Invocatio Divini Numinis in testimonium veritatis

2. Q. *Quotuplex est Juramentum?*

R. Duplex Assertorium & Promissorium. Assertorium est illud, quô aliquid præsens, vel præteritum affirmatur vel negatur. Promissorium Juramentum est illud, quô aliquid futurum promittitur.

3. Q. *Quotuplex est adhuc Juramentum?*

R. Simplex. & Solemne. Simplex est, quod fit sine solemnitate. Solemne verò est, quod fit coram Superiore per certā verborū formulam & attactum Evangelii.

4. Q. *Quotuplex est adhuc Juramentum?*

R. Duplex Aliud est Invocatorium, seu Contestatorium, quô DEUS simpliciter, ut testis invocatur. Et aliud Execratorium seu Imprecatorium, quô DEUS invocatur ut Vindex falsitatis., ut vg: DEUS me puniat, si ita non est.

5. Q. *Quid requiritur ad Juramentum, ut sit licitum?*

R. Tres requiruntur Conditiones. *1ma* Est Judicium. *2da* Justitia. *3tia* Veritas. Judiciô caret juramentum incautum. Justitiâ juramentum iniquum. Veritate juramentum mendax. Veritas consistit in eo, quo jurans bona fide putet esse verū, quod jurejurando affirmat. Justitia consistit in hoc, ut quod juratur sit res licita

& ho-

& honesta. Judicium verò in eo consistit ut cum necessitate, rationabili de causa, ac Divini Nominis veneratione juretur.

6. Q. *An licet jurare æquivocè, vel cum restrinctione mentali?*

R. Negativè. Si quis sponte se offerat ad jurandum; vel si legitimè & juridicè sub juramento interrogetur. Ratio est: quia facilè perverteretur Judicium. Deinde: quia juridicè interrogatus obedire tenetur Judici, si q; jurare in sensu sicut Judex intendit.

7. Q. *An liceat exigere Juramentum ab eo, qui scitur pejeraturus?*

R. Negativè. Ratio est: quia nunqum est licitum alterum inducere ad peccatum mortale, quale est perjurium.

8. Q. *Quæ sunt verba seu formalæ expressæ Juramenti?*

R. Hæ: DEUM testor: DEUS mihi testis. Juro per DEUM. per SS. Sacramenta.

9. Q. *Quis relaxare potest Juramentum?*

R. Superior habens jurisdictionem in Subditum.

10. Q. *Quis potest juramentum promissorium commutare in aliud opus præstandum?*

R. Omnes, qui possunt dispensare, possunt & commutare.

11. Q. *Quis potest irritare juramentum promissorium?* R.

R. Ille, qui habet potestatem dominativam Oeconomicam in jurantem, ejusq; rem juratam; ut sunt: Pater, Prælatus, Dominus Vir &c.

12. Q. *Quæ sunt pœnæ perjurii?*

R. In Jure Canonico tres pænæ sunt statutæ. *1ma* Infamia Juris. *2da* Repulsio à testificando. *3tia* Et arbitraria à Judice decernenda. In Jure Civili lege statuta Comitiorum.

13. Q. *Quæ Conditiones tacitæ includuntur in juramento?*

R. Quatuor. *1ma* Si potero; quia ad impossibile nemo obligatur. *2da* Salva Jure & Athoritate Superioris. *3tia* Nisi is, in cujus utilitatem juratur, obligationem remittat. sivè expressè, sivè tacitè. *4ta* Dummodo res in eodem statu permanserit.

§. 3.

De Voto.

1. Q. *Quid est Votum?*

R. Est promissio deliberata, voluntaria, & possibilis, soli DEO facta de meliori bono.

2. Q. *Quid est Promissio?*

R. Est deliberata ac spontanea fidei obliga-

ga-

gatio, facta alteri de re bona & possibili.

3. Q. *Quo differt Promissio à simplici proposito?*

R. Quia Promissio inducit obligationem faciendi id, quod promittitur. Propositū autem licet sit firmum, tamen ex se talem non obligationem non inducit.

4. Q. *Quo differt Votum à Proposito?*

R. Per hoc *1mò*, quia Votum obligat voventem sub peccato, non sic autem propositum. *2dò*, quia Votum semper est de meliori bono, propositum autem potest esse aliquando & de minori bono, ut dum quis proponit vg: non servare Virginitatem, sed nubere.

5. Q. *Quotuplex est Votum?*

R. Duplex. Aliud est Absolutum, quod fit absq; ulla conditione. Aliud Conditionatum, quod fit cum conditione vg: voveo castitatem, si sanus ero. Si verò aliquis suâ culpâ impedit, ne conditio impleatur, manet obligatus Voto.

6. Q. *Quotuplex est Votum conditionatum?*

R. Duplex. Pænale, quod fit in pænam delicti vg: voveo facere disciplinam, si hoc vel illud fecero. Et purè Conditionatum, quod non fit in pænam peccati, sed ex alia causa.

7. Q. *Quotuplex est adhuc Votum?*

R. Duplex. Simplex, & Solemne. Sole-

mne eſt illud, quod acceptatur ab Eccleſia pro tali, & ſolemnizatur vel per ſuſceptionem Sacrorum Ordinum vel per Profeſſionem Religioſam. Simplex verò eſt illud, quod talem Solemnitatem non habet.

8. Q. *Quotuplex eſt adhuc Votum ratione materiæ?*

R. Triplex. Reale, Perſonale, & Mixtum. Reale eſt, quô res DEO aliqua promittitur, ut vg: pecunia, vel res pretiô æſtimabilis. Perſonale eſt quô DEO promittitur aliqua actio, vel ejus omiſſio, ut vg: peregrinatio, vel omiſſio ludi alearum &c. Mixtum, quô DEO promittitur res aliqua ſimul cum actione voventis, ut vg: votum peregrinandi unà cum largitione Eleemoſinæ.

9. Q. *Quotuplex eſt adhuc Votum?*

R. Duplex. Aliud Expreſſum, quod fit verbis externis. Aliud Tacitum, quod eô ipſô habetur, quando fit aliquid, cui votum eſt annexum. Tale Votum Caſtitatis eſt in ſuſceptione SS. Ordinum.

10. Q. *Quotuplex eſt adhuc Votum?*

R. Duplex. Reſervatum, & non reſervatum. *1mum* eſt, quod à ſolo Papa diſpenſari poteſt, & talia ſunt quinq; Vota nempè Caſtitatis perpetuæ, Religionis approbatæ, Peregrinationis Romanæ ad limi-

limina Apostolorum. Compostellam ad S. Jacobum. & in Hierusalem. 2dum est omne aliud votum.

11. Q. *Quæ requiruntur ad valorem Voti?*

R. Ex parte materiæ requiruntur hæc tria. 1mò Ut sit opus bonum & quidem possibile. 2dò Ut illud opus sit melius quàm ejus oppositum. 3t.ò Ut fiat cum bono fine. Ex parte voventis requiruntur hæc quatuor. 1mò Scientia obligationis sub peccato implendi votum. 2dò Intentio obligandi se ad votum implendum. 3tiò Deliberatio perfecta, sicuti ad peccatum mortale requiritur. 4tò Libertas in vovendo.

12. Q. *Quomodo obligat Votum?*

R. Semper sub peccato juxta illud Deuteron: 23. Cum votum voves DEO tuo, non tardabis reddere, quod si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.

13. Q *Unde desumitur gravitas obligationis Voti?*

R. Ex intentione ipsius voventis, quia votum est quasi Lex privata, quam sibi vovens ponit. Lex autem non obligat ultra intentionem Legislatoris.

14. Q. *An Vota facta ex metu sint valida?*

R. Cum distinctione: si metus sit incussus non ad extorquendum Votum, sed ad alium finem, votum in tali metu factum

est

est validum. Ratio est: quia vovens à nemine impellitur ad emittendum votū, sed liberè, & sua sponte illud medium sibi eligit, & emittit votum. Ita Sanchez lib: 4. Decal: cap: 3. num. 1. Secus si metus incussus est ad extorquendum votum, tale votum nullum est, ex defectu voluntarii, & perfectæ libertatis.

15. Q. *An vota facta ex errore vel ignorantia sint valida?*

R. Si error & ignorantia sint circa naturam voti, certè votum nullum est, ut vg: si nescias, quid sit vovere saltem, juxta modum ordinarium, quô alii vovent. Si error pariter & ignorantia sit circa magni momenti circumstantias non tenet Votum. ut vg: si propter modestiam & Silentium Carthusianorum voveas ingredi Religionem eorundem, putans tamen eos vesci carnibus, non teneris votô, quia est error circa circumstantiam magni momenti. Ita La Croix n. 378.

16. Q. *An Votum obliget alios à vovente, videlicet: hæredes, successores &c.?*

R. Negativè. Quia votum, ut est dictum, est quasi lex privata obligans solummodo voventem. Ita Mazotta Tract: 2. de præceptis Decalogi §. 3. quæsitô 4.

17. Q. *Quot modis potest tolli Votum?*

R. Tribus. Irritatione, Commutatione, & Dispensatione.

18. Q. *Quid est Irritatio Voti?*

R. Est sublatio obligationis, facta nomine proprio per potestatem Dominativam in Personam voventem, aut in rem de qua fit Votum.

19. Q. *Quotuplex est Irritatio Voti?*

R. Duplex. Una Directa, per Quam ita aufertur obligatio Voti, ut nunquam postea reviviscat. Alia Indirecta, per quam quidem aufertur Obligatio Voti, postea tamen reviviscere potest, quando scilicet talis obligatio desinet alteri præjudicare.

20. Q. *Qui possunt directè irritare Votum? & qui Indirectè?*

R. Illi directè possunt irritare Vota, quibus ita est subjecta tam voluntas voventis, quàm materia voti, ut in illam jus habeant, ut vg: Maritus respectu Uxoris, Pater respectu Filii. Prælatus respectu Subditi, Dominus respectu Servi. Indirectè verò illi possunt irritare, quibus est subjecta materia Voti, non autem voluntas voventis, quos in specie latè enumerat La Croix Lib: 3. p. 1. n. 482.

21. Q. *Quid est Commutatio?*

R. Est substitutio alterius honesti operis loco ejus, quod per Votum promissum fuerat sub eadem obligatione.

22. Q. *Quotuplex est Commutatio?*

R.

R. Triplex 1ma est, qua voti obligatio de una materia transfertur in aliam priori materiæ æqualem, ut jejunium die Veneris præstandum die Sabbathi. 2da est, quando transfertur in evidenter majorem vg: preces in jejunium. 3tia demum est, quando transfertur in evidenter minorem vg: si jejunium commutetur in Orationem Septem Psalmorum.

23. Q. *Quis potest commutare Vota?*

R. Ille potest solùm commutare vota, qui potest dispensare in eis, non tamen è contra; quia major est potestas dispensandi Vota, quam commutandi eadem. Dico 2dò. Si fiat in melius commutatio, potest fieri propriâ authoritate voventis. Si in æquale, Problema est apud Doctores. Si in minus, Authoritas Ecclesiæ, requiritur ut docent DD.

24. Q. *Quid est Dispensatio?*

R. Est absoluta condonatio obligationis Voti, facta nomine DEI, ex justa Causa.

25. Q. *Quis potest dispensare in Votis?*

R. Omnes Prælati Ordinum qui respectu suorum Subjectorum potestate Ordinaria gaudent. Episcopi cum suis Diæcesanis. Papa in Votis omnibus, & specialiter in quinq; sibi reservatis.

26. Q. *Ob quas Causas potest fieri Dispensatio?*

R.

R. 1mò Ob bonum Commune Ecclesiæ vel Reipublicæ 2dò Ob notabilem difficultatem in observatione Voti. 3tiò Ob imperfectionem actûs, vel levitatem, ex qua processit votum.

Nota 1mò Omnia vota antecedentia tam realia, quàm personalia, etiam Summo Pontifici reservata, licite commutari possunt in Votũ Professionis Religiosæ, adeoq; per hanc omnia priora quasi extingvuntur

Nota 2dò Modum practicè impetrandi Dispensationem Romæ præscribit P. Kreslinger apud P. Reifenstuel. Tract: 6. Dist: 3. q. 4. n. 53.

TRACTATUS VII.

De Jure & Justitia, cæterisq; Virtutibus Cardinalibus.

§. 1.

1. Q. *Quid sunt Virtutes Cardinales?*

R. Sunt Virtutes Morales, reliquîs præcellentiores, & ad quas reliquæ reducuntur.

2. Q. *Quare dicuntur Cardinales?*

R. Quia sicut Ostium circa cardinem, ita tota moralis honestas circa illas versatur.

3. Q. *Quot sunt Virtutes Cardinales?*

R. Quatuor. Prudentia, Justitia, Temperantia, & Fortitudo.

4. Q. *Contra quæ impedimenta sunt singulæ Virtutes Morales?*

R. Contra ignorantiam est Prudentia, quæ agenda ostendit. Contra delectabilia, est Temperantia, quæ est Virtus illorum moderativa. Contra terribilia est Fortitudo, quæ animum corroborat, ne illis succumbat. Contra amorem inordinatum sui ipsius, est Justitia inclinans rectè se ad alterum habere.

5. Q. *Quæ & quid est Prudentia prima Virtus Cardinalis?*

R. Est recta agendorum ratio; seu est habitus directivus actuum humanorum, ut bene & laudabiliter fiant in genere moris. Et hæc Virtus concurrit ad omnes actus virtuosos.

6. Q. *Quotuplices sunt partes Prudentiæ?*

R. Triplices: Subjectivæ, Potentiales, & Integrantes.

7. Q. *Quid sunt partes subjectivæ Prudentiæ?*

R. Sunt species, seu inferiora, in quæ ejusmod Virtus subdividitur.

8. Q. *Quid sunt partes potentiales Prudentiæ?*

R. Sunt Virtutes illi affines, ad quā ratione magnæ suæ connexionis reducuntur, eiq; annecti solent.

9. Q. *Quid sunt partes Integrales?*

R.

R. Sunt eæ, quæ ad perfectum actum prudentiæ concurrere debent.

10. Q. *Quot sunt partes subjectivæ Prudentiæ?*

R. Partes seu species sub Prudentia tanquàm sub genere contentæ sunt quinq; videlicet: Monastica, Oeconomica, Politica, Legislativa, & Militaris.

1ma. Monastica est, quâ quis sibi, & propriæ directioni prospicit.

2da. Oeconomica est, quæ totius familiæ honestam institutionem tuetur.

3tia. Politica seu Civilis est, quâ quis rectè novit administrare Rempublicam, legumq; observantiam procurare.

4ta. Legislativa est, quâ quis novit idoneas leges condere.

5ta. Militaris est, quâ rectè administratur militia.

11. Q. *Quot sunt partes seu species potentiales Prudentiæ?*

R. Tres. Eubulia, Synesis, & Gnomæ. 1ma Eubulia, seu bona Consultatio est habitus rectè inclinans ad consulendum, seu ad excogitanda media apta pro consecutione finis. 2da. Synesis, id est sensatè discurrere, est habitus disponens ad ferendum rectum judicium de particularibus operabilibus, consultatis. 3tia. Gnome est habitus rectè judicandi ex principiis quibusdam altioribus, præter

ordinarias leges, prout fit per Epicheiam.

12. Q. *Quod sunt partes seu species Integrantes Prudentiæ?*

R. Sunt Octo videlicet: Memoria præteritorum. Intellectio. Docilitas, Solertia, Ratio. Circumspectio, Prudentia & Cautio. *1ma* Memoria; est quæ magnam opem affert ad rectas formandas delîberationes de fine. ac mediis ad finem assumendis. *2da* Intellectio; est cognitio primorum principiorum practicorũ. *3tia.* Docilitas;est quâ quis facilitatur ad acquiescendũ promptè, monitis prudentũ quibus rectè instruitur. *4ta.* Solertia; est, qua operans disponitur ad facilem & subitam mediorum excogitationem. *5ta.* Ratio; est, quâ quis promptus efficitur ad inferendum unum ex alio simili atq; ad applicandum principia generalia ad particulares conclusiones. *6ta* Circumspectio; est, per quam habilitatur homo ad rectè expendendas omnes circumstantias actionis moralis. *7ma.* Prudentia; est, quâ rectè expenduntur futura agibilia moralia, velut jam connexa cum præsentibus. *8va.* Cautio; est. quâ instruitur operans, qualiter declinare debeat impedimenta occurrentia. & ne sub specie boni voluntas applicetur malis.

Nota 1mò: Omne peccatum opponitur Pruden-

dentiæ eò, quod sit contra rectum ejus dictamen.

Nota 2dò Prudentiæ per defectum opponitur Imprudentia, per excessum verò prudentia falsa & fucata. Per imprudentiam peccatur quadrupliciter; scilicet: Præcipitatione, Inconsideratione, Inconstantiâ, Negligentiâ. Per falsam seu fucatam prudentiam peccatur sex modis scilicet: Prudentiâ carnis, astutiâ, dolô, fraude, solicitudine temporalium, & solicitudine futurorum.

13. Q. *Quid est Temperantia 3da Virtus Cardinalis?*

R. Est Virtus refrænans inordinatos appetitus & concupiscentias corporis, præsertim circa gustum & tactum. Ita S. Thom: 2. 2. q. 141. a. 4.

14. Q. *Quotuplices sunt partes seu species Temperantiæ?*

R. Triplices. Subjectivæ, Potentiales & Integrantes.

15. Q. *Quod sunt & quæ partes seu species Temperantiæ?*

R. Tres scilicet: Abstinentia, Sobrietas, & Castitas. 1ma Abstinentia est virtus, quæ secundùm rectam rationem moderatur appetitum usumq; ciborum oblectantium. 2da Sobrietas est virtus, quæ secundùm rectam rationem moderatur

inor-

inordinatum appetitum, ufumq; potionis vim inebriandi habentis. *3tia* Caftitas eft virtus, quæ moderatur inordinatum appetitũ venereorum. Et hæc eft *triplex*: Virginalis, Vidualis, & Conjugalis. Ad Caftitatẽ reducuntur Pudicitia & Continentia. Pudicitia eft moderamen circa ofcula illicita, tactus, afpectus venereos & alias fimiles lascivias. Continentia eft virtus refrænans motus concupifcentiæ carnalis contra rectam rationem infurgentes.

16. Q. *Quot funt partes feu fpecies potentiales Temperantiæ?*

R. Sunt Sex videlicet: Manfvetudo, Clementia, Studiofitas, Humilitas, Modeftia, & Eutrapelia. *1ma* Manfvetudo eft virtus temperans irrationabiles paffiones iræ juxta menfuram rectæ rationis. *2da* Clementia eft lenitas Superioris adversùs inferiorem in conftituendis pænis. *3tia* Studiofitas eft virtus inordinatam cupiditatem fciendi temperans, nam omnis homo naturaliter fcire defiderat. Eidem opponitur per exceffum Curiofitas, quæ eft cura fuperflua cognofcendi aut difcendi, per defectum verò opponitur ei Negligentia, quæ, eft voluntaria omiffio eorum addifcendorum, quorum, cognitio ad cujufq; ftatum vel Officium fpectat. *4ta* Humilitas eft virtus tem-

pe-

perans inordinatum appetitum tendendi ad excelsa. Vel est virtus, quâ homo verissima sui agnitione sibi ipsi vilescit. 5ta Modestia, est virtus moderans exteriores corporis actiones juxtà modum rectæ rationis. 6ta Eutrapelia est virtus in recreationibus honestis atq; ad animi & corporis refocilationem susceptis, rectæ rationis servans moderamen.

17. Q. *Quæ sunt, & quot partes seu species integrantes Temperantiæ?*

R. Duæ, Verecundia & Honestas. 1ma Veracundia est Virtus â turpibus, & inhonestis cupiditatibus retrahens hominem. 2da Honestas est Virtus inclinans ad decorē resplendentem in abstinentia circa inhonestas voluptates.

18. Q. *Quæ? & quid est tertia Virtus Cardinalis?*

R. Fortitudo. Quæ est Virtus inclinans voluntatem ad labores perferendos, & justa pericula aggredienda.

19. Q. *Quæ & quot sunt partes seu species Fortitudinis?*

R. Quatuor. Magnanimitas, Confidentia, Patientia, & Perseverantia. 1ma Magnanimitas est Virtus inclinans ad opera magna & heroica in omni virtutum genere. 2da Confidentia seu Securitas est quietatio voluntatis orta ex fiducia, quâ quis

tati-

rationabiliter confidit ſe malum imminens ſuperaturum. *3tia* Patientia eſt virtus, quæ in adverſis rebus animi mærorem temperat ac mala omnia æquanimiter tolerat, ne quidquam contra decorem honeſtatis agatur. Ita S. Thom: q. 136. a. 4. *4ta* Perſeverantia eſt virtus conſiſtens in eo, quod quis in bene cæptis perſiſtit, ac mala patienter tolerat, non obſtante diuturnitate temporis, difficultate, & moleſtiis Ita S. Thom: q. 137.

20. Q. *Quæ vitia opponuntur Fortitudini?*

R. Per defectum opponitur timiditas, quâ fit ut mala imminentia nimium formidentur & non aggrediantur, quamvis recta ratio dictet aggreſſionem eorum. Per exceſſum opponitur Fortitudni. Stupiditas animi, quâ quis ob animi audaciam nulla mala ſeu pericula formidat, etiam quando ea formidare, & cavere deberet.

21. Q. *Quis eſt excellentiſſimus actus Fortitudinis?*

R. Actus Martyrii.

22. Q. *Quid eſt Martyrium?*

R. Eſt tolerantia voluntaria mortis ex odio veræ Fidei, vel alterius virtutis Chriſtianis inflictæ.

23. Q. *Quæ requiruntur ad verum Martyrium?*

R. Sequentia Quatuor: *1mò* Ut mors à

Ty-

Tyranno violenter inferatur ob fidem Christi. 2dò Ut adultus non resistat, seu voluntaria perpessio mortis ex motivo su-pernaturali. 3tiò Ut si personaliter peccavit, attritionem præmittat 4tò Ut ante Martyrium alia præcepta, ad quæ obligatur, quæq; adimplere potest, impleat Seu breviùs: Ad verum Martyrium requiritur in adultis ex parte intellectûs vera Fides, ex parte voluntatis pia voluntas tolerandi mortem pro Fide Christi, vel alterius virtutis supernaturalis defensione.

Nota. Ut Martyrium cui prosit ad Salutem requiritur status gratiæ, vel saltem legitima dispositio ad gratiam.

§. 2.

De Jure & Justitia.

1. Q. *Quid est Justitia?*
   R. Est constans & perpetua Voluutas jus suum unicuiq; tribuens.
2. Q *Quotuplex est Justitia?*
   R. Duplex. Perfecta & Imperfecta. Perfecta est, quæ habet istas tres Conditiones. 1mò Jurium Alteritatem 2dò Compensationis æqualitatem. 3tiò Debitum compensandi ex aliquo jure ortum. Im-

perfecta verò est, quæ aliquā ex his tribus Conditionibus non habet

3. Q. *Quotuplex est Justitia perfecta ?*
R. Triplex. Distributiva, Commutativa, & Legalis

4. Q. *Quid est Justitia Distributiva ?*
R. Est illa, quæ inclinat ad danda aliis præmia juxta merita cum proportione Geometrica vg: dando præmia minora minùs, majora magis meritis &c.

5. Q. *Quid est Justitia Commutativa ?*
R. Est illa quæ inclinat ad servandam æqualitatem rerum quæ commutantur, cum proportione Arithmetica, & hæc versatur circa æqualitatem rei ad rem sine respectu ad personam, qui attenditur in Justitia Distributiva, atq; proportione Geometrica, ut vg: dum datur centum pro cento ab homine cujuscunq; Status.

6. Q. *Quid est Justitia Legalis ?*
R. Est, quæ inclinat ad observantiam Legum quæ sunt ad Bonum Commune ordinatæ. Vel est constans & perpetua voluntas membrorum Reipublicæ, Communitati jus suum tribuendi.

7. Q. *Quotuplex est Justitia Distributiva ?*
R. Duplex Præmiativa & Punitiva. 1ma est quæ meritis reddit præmia. 2da quæ demeritis reddit suplicia.

8. Q. *Quod est Objectum Justitiæ propriè dictæ ?*

R. Objectum formale eſt Jus, ſeu æqualitas inter jus activum unius & paſſivum Alterius. Objectum verò materiale ſunt res debitæ, quia in has introducitur dicta æqualitas.

9. Q. *Quid eſt Jus?*

R. Eſt facultas utendi re pro libitu circa injuriam alterius.

10. Q. *Quotuplex eſt Jus?*

R. Duplex Jus ad rem & Jus in re. Jus in re eſt, illud, vi cujus certa res exiſtens, ita alicui conſtituitur devincta & obligata, ut eandẽ vindicare, atq; repetere ex cujuslibet manibus, quocunq; devenerit, poſſit.

11. Jus ad rem eſt illud, vi cujus non quidem res ipſa, ſed perſona quæpiam alicui ſit devincta & obligata ad rem certam, vel ad pretium illius reddendum.

12. Q. *Quotuplex eſt adhuc Jus?*

R. Triplex. Jus Naturale, Poſitivum, & Jus Gentium. Naturale eſt, quod rerum natura conſtitutum eſt. Poſitivum, quod certorum hominum inter ſe conſenſu conditum eſt. Jus Gentium, quod Communi omnium Nationũ populorumq; judiciô conſtitutum eſt.

§. 3.

De Dominio.

1. Q. *Quid est Dominium seu Jus in re?*
R. Est facultas utendi re suâ ad quemlibet usum lege permissum.

2. Q. *Quotuplex est Dominium?*
R. Duplex. Jurisdictionis & Proprietatis. Primum est facultas gubernandi proprios subditos. Ejus actus sunt: præcipere, prohibere, permittere, judicare, punire, præmiare. Secundum est facultas disponendi de re aliqua tanquam sua in proprium commodum.

3. Q. *Quotuplex est Dominium Jurisdictionis?*
R. Duplex. Ecclesiasticum & Sæculare.

4. Q. *Quotuplex est Dominium Proprietatis?*
R. Duplex. Perfectum & Imperfectum. Perfectum est, quod continet proprietatem rei, & commodum ejus. Imperfectum est, quod tantum habet proprietatem rei absq; commodo, vel è contra; & dicitur directum juxta primam partem, Utile verò juxta secundam partem.

5. Q. *Quotuplex est Dominium Utile?*
R. Est Septuplex. Usus, Ususfructus, Emphiteusis, Feudum, Superficies, Servitus, Possessio.

6. Q. *Quid est Usus?*

R.

R. Est jus utendi re alienâ, salvâ rei substantâ

7. Q. *Quid est Ususfructus?*

R. Est jus utendi fruendi re aliena salvâ ejus substantiâ. Ubi per ly utendi, fruendi distingvitur à simplici usu, qui est sine fructu, sive jus utendi, & non fruendi. Qui habet simplicem Usum dicitur Usuarius. qui Usumfructum Fructuarius, seu Usufructuarius appellatur. Hinc qui habet Usum jumentorum pecorum, potest eis uti ad vehendum, arandum, sed neq; foetu, neq; lanâ &c. uti potest, neq; elocationis fructum percipere &c. quia hæc ad fructum pertinent. Usufructuarius autem omnem omnino fructum rei, atq; utilitatem percipit ita; ut Dominus seu Proprietarius concesso alteri suæ rei usufructu, nihil in ea præter Proprietatē retineat. Ita Joannes Taberna S. J. Tract: 2 Cap: 4 §. 2.

8. Q. *Quid est Emphiteusis?*

R. Est contractus quô res immobilis alicui fruenda traditur in perpetuum, vel ad certum tempus non minus decennio. sub obligatione pensionis Domino proprietatis reddendæ

9. Q. *Quid est Feudum?*

R. Est Contractus, quô res immobilis, vel quæ pro immobili habetur alicui fru-

enda

enda traditur, pro fidelitate & obsequio personali exhibendo. Qui feudum accipit Vasallus, qui tradit Infeudator vocatur

10. Q *Quid est Superficies ?*

R. Est Contractus, quô alicui conceditur Superficies alieni fundi, seu soli ad ædificandam domum, ad vineam plantandam, aut quodvis aliud. De quibus Pater Mezger tract: 9 lib: 26. a. 2.

11. Q *Quotuplex est Usus ?*

R. Duplex Usus juris, qui est Jus utendi tantùm re alienâ, salvâ ejus substantiâ, & Usus facti, qui est legitima quidem sed nuda rei alienæ usurpatio ab alieno nutu dependens, & citra injuriam quôcumq; momentô revocabilis.

12. Q *Quid est Servitus ?*

R. Est Jus utendi, vel fruendi re alienâ, aut aliquid circa illam impediendi.

13. Q. *Quotuplex est Servitus ?*

R. Triplex. Merè Personalis, mere Realis, & Mixta Merè Personalis est, quæ à Persona debetur Personæ vg: ut si quis usum sui Servi concedat alteri. Merè Realis est, quæ à re immediatè debetur rei ut est vg: Jus, quô per agrum alienum duco jumenta ad meum. Mixta est, quæ à re immediatè debetur Personæ, quæ illâ re immediate potest uti, vel frui.

14.

14. Q. *Quotuplex est Servitus Realis?*

R. Duplex. Alia est Rusticana, quæ prædio rustico, alia Urbana, quæ prædio Urbano debetur.

15. Q. *Quid est Possessio?*

R. Est detentio rei, corporis, & animi, & juris adminiculo interveniente.

16. Q. *Quotuplex est Possessio?*

R. Triplex Naturalis, Civilis, & Mixta. *1ma* est detentio rei solùm Corporis & animi adminiculô *2da* est, detentio rei animi tantum & juris adminiculô *3tia* est, quæ utroq; modo possidetur, vg: Invasor possidet rem naturaliter. Dominus civiliter. Si autem depellatur invasor? Dominus possidet utrôq; modô & naturaliter & civiliter.

§. 4.

De Subiecto Dominii.

1. Q. *Quotuplex est Subjectum Dominii?*

R. Duplex Remotum & Proximum. Subjectum remotum Dominii est quælibet Persona humana capax Dominii, seu omnis homo vivens. Ita Anselmus Schnel, Parte 2. tract: 2. Th: Mor: n. 314. Subjectum verò proximum est voluntas humana,

2. Q.

2. Q. *Estnè homo Dominus vitæ suæ propriæ?*
R. Non. Sed solùm Custos, solus verò DEUS est Dominus vitæ humanæ.

3. Q. *Estnè homo Dominus saltem famæ suæ?*
R. Est. Quia homo famam & honorem liberô suô acquirit arbitrio, sicut res alias.

4. Q. *Estnè homo Dominus Bonorum Spiritualium tàm externorum, ut sunt: Jurisdictio Spiritualis Episcopatus &c. quàm internorum, qualia sunt: Gratiæ, virtutes infusæ &c ?*
R. Est Dominus, quia hæc omnia acquirimus industriâ nostrâ.

5. Q. *Parvuli & Amentes habentnè Dominium?*
R. Etsi non habeant Dominium Actuale ob defectum usus rationis, habent tamen habituale fundatum in potentiis animæ rationalis.

6. Q. *Servi strictè tales habentnè Dominium?*
R. Servus quâ servus nullum habet Dominum rerum. Ratio est: quia est arbor non sibi, sed Hero suo fructificans.

7. Q. *Quarum rerum, seu quorum Bonorum Dominium habent Filii familias ?*
R. Quadruplicia Bona assignant Doctores. *Imò* Castrensia, quæ acquiruntur occasione militiæ sagatæ seu armatæ *2dò* Quasi Castrensia, quæ obtinentur occasione militiæ togatæ per Officium publicum Medici, Judicis, Consiliarii, Professoris

Bene-

Beneficiati. *3tiò* Adventitia, quæ nec sunt Castrensia nec quasi Castrensia, neq; à Patre, neq; intuitu Patris veniunt, sed aliunde vg: propriâ industriâ, privato labore, casu, donatione, hæreditate lineæ Maternæ. *4tò* Profectitia, quæ Filii consequntur, vel ex ipsis Bonis Paternis propriâ industriâ vg: negotiando illis, vel ab aliis, sed intuitu Patris Præmissâ ergo divisione Bonorum respondeo: Quia Bonorum Castrensium, & quasi Castrensiū Filii familias habent plenissimum Dominium, tam quô ad propietatem, quàm quô ad utilitatem, & si puberes sint, nec non liberæ eorum administrationis capaces, Bonorum autem Adventitiorum Filii familias habent solum Dominium directum seu proprietatis, utile autem seu usum fructum & Administrationem habet Pater saltem regulariter. Ita Omnes DD. In Bona autem Profectitia Filii familias nullum prorsus Dominium habent, nec directum, nec utile, sed utrumq; ad Patrem pertinet. Filiis verò præcisè conceditur usus simplex & dependens à Patre. Ita Communiter DD & Juristæ

8\. Q. *Quarum rerum Dominium habent Conjuges, scilicet Maritus & Uxor?*

R. Maritus habet Dominium directum & utile tàm civile, quàm naturale in Bona

ſua propria, & Uxoris ſuæ ſcilicet dotalia, quia cenſetur ea emiſſe pretiò, videlicet contra dote. Uxor verò habet Dominium & liberam Adminiſtrationem Paraphernaliū, quæ accepit à ſuis præter dotem. Poteſt præterea Uxor ſuccurrere inopiæ Parentum ſuorum, Fratrum, Sororum, & indigentiæ Prolis ex priori thoro de Bonis Communibus, ſi non habeant alia Bona, dummodo illa elargitio ſit moderata. Ita Wigant in Tribunali Confeſſariorum.

9. Q. *Quando & quantum ex Bonis de ſe Communibus liceat, Uxori clam accipere ?*

R. Tot & toties, quoties, & quot neceſſaria ſunt ad congruam ſui, familiæq; ſuſtentationem; poteſt inſuper expenſas facere pro avertendo malo temporali, vel Spirituali, ad Veſtitum, honeſtam recreationem &c. Plura P. Sporer. tract: 5. Decal: cap: 5. ſect: 2. à num. 51.

10. Q. *Religioſi ſolemniter Profeſſi habentnè Dominium rerum aliquarum ?*

R. Non habent in particulari, ſuntq; incapaces Dominii & Juris realis in res temporales, ad bona fortunæ ſpectantes; non tantum ex natura Voti paupertatis ſolemnis quod emiſerunt, aut vi ſtatûs Religioſi ut ait Fligen cap: 8. de Jure juſtitiæ, ſed etiam ex ordinatione Eccleſiæ. Ita

Com-

Communis Canonistarum & Theologorū ex S. Thom: 2. 2. q 186. a. 5 Tridentinum Sess: 25. cap: 2. de Regul:

Nota *1mò* Religiosus nequidem per licentiam Papæ potest habere peculium omnino independens ob votum paupertatis.

Nota *2dò* Potest tamen habere pecunias in Communi deposito asservandas & ad usus sibi à Prælato concessos vel concedendos; Ratio: quia per hoc non læditur paupertas, siquidem hoc totum fit, juxta placitum Superioris.

Nota *3tiò* Ludens Religiosus absq; omni licentia Prælati peccat contra votum paupertatis, quia pecunias exponit ludo, quod est actus Dominii, idcirco, qui ab eo lucratur, tenetur restituere non ludenti sed Monasterio. Ita Fliegen cap: 8. de Jure & Justitia Thlgiæ Moral: fol: 185.

II. Q. *Clerici Sæculares an? & quorum Bonorum habeant Dominium?*

Ante Responsionem Nota. Quatuor esse genera Bonorum, circa quæ Clerici Sæculares aliquid disponere possunt. *1mò* Bona Patrimonialia, quæ Clericis obveniunt ex titulo merè profano vg: hæreditate, donatione &c. *2dò* Bona quasi Patrimonialia, quæ ipsis obveniunt tamquâm merces & stipendium ex functione sacra, scilicet applicatione Missæ, administratione

Sacramentorum &c. *3tiò* Beneficialia, quæ ipsis obveniunt ex Beneficio Ecclesiastico in Titulum collato, uti Decimæ, Fructus & Redditus Annui seu fixi. *4tò* Parsimonialia sunt, quæ Clerici ex redditibus Beneficialibus in congruam sustentationem debitis colligunt, vivendo frugalius. His præmissis R. Clericos Sæculares habere Dominium Bonorum non tantum Patrimonialium & quasi Patrimoalium, sed etiam Parsimonialium & Ecclesiasticorum, cum hac tamen obligatione, ut superflua Bona non in usum profanum, sed in usum ipsius Ecclesiæ suæ, nec non in Eleemosinas pauperibus elargiendas convertant.

12. Q. *In quos usus superfluæ Redituum expendi debent ?*

R. Imprimis in Ministros & pauperes Ecclesiæ. Deinde in Seminaria erigenda vel conservanda, & sublevanda; nec non pro Ecclesiastica Supellectili comparanda, aliisq; necessariis, pro quibus expendendū est Juxta Constitutionem Leonis X. Supernæ etiam de redditibus non superfluis.

§. 5.

De modis acquirendi Dominium.

1. Q. *Quot modis acquiritur Dominium rerū?*

R.

R. Tribus. 1mò Jure Naturali seu Gentium, & hoc multipliciter contingere potest; scilicet: Occupatione, nativitate, alluvione, specificatione, accessione, confusione, commixtione, ædificatione, plantatione, fructuum perceptione, & traditione. 2dò Jure Civili, atq; Canonico, & hoc fit mediante Præscriptione nec non Usurpatione. 3tiò Privata hominum voluntate, vel jure Belli.

2. Q. *Cujus sunt Animalia domestica errantia?*

R. Animalia domestica etsi longiùs aberrent, manent Dominis. ut habetur tit: de Rerum divisione. §. Gallinarum. Sylvestria vero Animalia errantia ut sunt lepores, cervi, aves, nec non pisces in fluviis primi occupantis. Animalia autem fera per naturam, per industriam verò hominum cicurata, ut vg: vulpes, cervi, columbæ &c. quamdiu habent consvetudinem redeundi, tamdiu manent sub dominio ejus, cujus sunt, si verò hanc amiserint, fiunt primi occupantis.

3. Q. *Cujus est fera ab uno vulnerata ab altero capta?*

R. Si vulnus est mortale, adeoq; sufficiens ad eam capiendam, est vulnerantis; secus: capientis. Si verò fera quam unus prosequitur cadat in laqueum alterius, est primi occupantis. Ratio: quia in

in pari jure melior est conditio possidentis.

4. Q. *An peccant homines ligna cædentes in Sylvis alienis ?*

R. Si sunt membra Communitatis prohibentis, cædendo ligna in Sylvis communibus non peccant, neq; tenentur ad restitutionem, secus si non sint Pauperes colligentes ligna arida, dummodo non violent sepes, non peccant ob rationabiliter præsumptam licentiam, & statum suæ paupertatis.

5. Q. *Quis est Dominus rei perditæ ?*

R. Inventor rei perditæ non est Dominus, sed tantũ bonæ fidei Possessor, unde tenetur possibilem adhibere diligentiam in inquirendo Domino, qui si non fuerit inventus, non potest Inventor eâ re uti secundùm aliquos Authores, cum hæc opinio in praxi sit minus tuta, & minus probabilis, ut tenet R. P. Flavianus Ricci, à Cimbria in Thlgia Instaurata R P. Anacleti Reiffensztu l. Trac. 7. Distinc. 5. Conclus. 4. num. 8. sed impendi debet in pauperes, vel alia pia opera ut docet Catechismus Romanus Parte 3. num: 17. Si verò res inventa fuerit magni valoris Xenodochio, aut Monasterio pauperi tradatur comparituro Domino restituenda: Ita Flavianus loco supra citato num: 9.

6. Q.

6. Q. *Cujus est Thesaurus inventus?*
R. Thesaurus propriè dictus jure naturæ & Gentium est inventoris. Jure verô Positivo communi si inveniatur in fundo proprio, est Inventoris, si autem in fundo alieno quæsitus & inventus sine consensu Domini, pertinet ad Dominum fundi Repertus arte magica, est Fisci. Si verò casu inveniatur, medietas ad Dominum fundi, & altera ad Inventorem spectabit. Ita habetur ex Iustit: de Rerum &c. tum ex Codice de Thesauris L. Unica.

§. 6.

De modis transferendi Dominium.

1. Q. *Quod modis transfertur Dominium Rerum?*
R. Quinq; *1mò* Præscriptione. *2dò* Promissione. *3tiò* Donatione. *4tò* Testamento. *5tò* Sponsione. Et de his omnibus singillatim.

2. Q. *Quid est Præscriptio?*
R. Est adjectio vel acquisitio Dominii rei alienæ per possessionem ejus certô temporis spatiò legibus definitô bona fide continuatam.

3. Q. *Quo Jure introducta est Præscriptio?*
R. Jure humano Positivo tum Civili tum

Eccle-

Ecclesiastico ob publicam utilitatem & quietem, ne incerta essent semper rerũ Dominia, & infinitæ orientur lites circa earum proprietatem. Ita L. 1. ff: de Usucap: estq; Communis.

4. Q. *Quæ? & quot sunt Conditiones ad legitimam Præscriptionem?*

R. Quatuor his versibus comprehensæ:

Sit res apta, fides bona, sit titulus quoq; justus
Possideas justè, completo tempore Legis.

1mò Per rem aptam intelliguntur res mobiles, quæ locô moveri possunt, quales sunt: pecunia, vestes, gemmæ &c. Et immobiles, quæ loco moveri non possunt ut vg: Prædia, Domus, Agri, Prata, Piscinæ &c. Unde præscribi non possunt res illæ, quæ jure Canonico & Civili sunt prohibitæ alienari vg: Res, & Loca Sacra &c. 2dò Per Bonam fidem intelligitur Conscientia, seu Credulitas, quâ quis prudenter, & inculpabiliter sibi persvadet rem possessam esse suam. 3tiò Per Titulum justum intelligitur Causa ex se habilis ad transferendam vel usucapiendam Conditionem præbens, uti sunt: Donatio, Emptio &c. 4tò Per Possessionem verã intelligitur actualis possessio rei nomine proprio, quia ut ait Regula 3. juris in 6.

sine

ſine poſſeſſione præſcriptio non procedit.
5tò Tempus Legitimum intelligitur continuatio poſſeſſionis per tempus à Lege præſcriptum & definitum.

5. Q. *Quid eſt Promiſſio?*
R. Eſt deliberata & ſpontanea fidei obligatio facta alteri de re quapiam bona & poſſibili

6. Q. *Quid eſt Donatio?*
R. Eſt translatio Dominii alicujus rei, per actum merè liberalem in alium facta.

7. Q. *Quotuplex eſt Donatio?*
R. Duplex Me è Gratuita, & Remuneratoria. 1ma eſt juxta definitionem mox datam. 2da eſt, quæ fit quidem per actũ liberalem, ſed tamên, intuitu alicujus Beneficij.

8. Q. *Quotuplex eſt adhuc Donatio?*
R. Duplex Abſoluta & Conditionata. Abſoluta eſt, quæ facta eſt ſine ulla conditione. Conditionata verò eſt, quæ cum aliqua Conditione facta eſt.

9. Q. *Quotuplex eſt adhuc?*
R. Duplex Realis, quæ conjugitur cum traditione rei. Et Verbalis, quæ conſiſtit in ſolis verbis.

10. Q. *Donatio liberè facta eſtnè revocabilis?*
R. Donatio mortis cauſâ; poteſt ad libitum revocari, quia per hoc differt à donatione inter vivos, quæ per ſe revocari non po-

poteſt, ſed tantùm per accidens.

11. Q. *Quid eſt Teſtamentum?*

R. Eſt libera ſeu gratuita diſpoſitio de Bonis in tempus mortis, ſeu poſt mortem, cum directa hæredis inſtitutione.

12. Q. *Quotuplex eſt Teſtamentum?*

R. Duplex. Solemne, quod habet omnes Solemnitates à jure requiſitas, & Minus Solemne, quod caret iiſdem.

13. Q. *Quotuplex eſt Teſtamentum Solemne?*

R. Duplex. Unum Scriptum ſeu clauſum, quo teſtator & Hæredem ſcribit, ſuamq; voluntatem teſtibus ad ſubſcribendum tradit cum ſolemnitatibus à jure requiſitis. Alterum Teſtamentum eſt Nuncupativum ſeu denuntiativum, in quo Teſtor coram Septem teſtibus viva voce hæredem nuncupavit.

14. Q *Qui Teſtamenta condere poſſunt? & qui non?*

R. Jure Civili prohibente *1mò* non poſſunt teſtari ſervi, niſi ad pias cauſas. *2dò* Nec Filii familias ſub Patria poteſtate conſtituti, niſi de Bonis Caſtrenſibus, vel quaſi Caſtrenſibus ſi ſint puberes. *3tiò* Qui commiſerunt crimen, cui annexa eſt pæna, quâ ipſô factô ſunt inteſtabiles, de quibus vide Juriſtas. *4tò* Furioſi, mentecapti ob defectum rationis. Ex Jure Canonico prohibentur teſtari *1mò* Religioſi

ob

ob votum paupertatis 2dù Clerici Sæculares de Bonis congruæ sustentationis superfluis, qui totum deputare debent ad pias causas.

15. Q. *Quid est Sponsio?*

R. Est Contractus, in quo duo de eventu alicujus rei, vel veritate contendentes, sibi invicem aliquid spondent, ut ejus sit, qui eventum, vel veritatem assequitur.

Nota *1mò* Ad præscribendas res immobiles contra Ecclesiam, Monasterium, Hospitale &c. requiruntur 40. Anni, exceptâ Ecclesiâ Romanâ, contra quam, ac ejus jura excurrit sola centenaria præscriptio, exceptîs etiam nonnulîs Monasteriîs ac Ordinibûs Religiosîs, qui Speciali Privilegiô sunt muniti, uti sunt P.P. Benedictini, & qui cum illis communicant, contra quos 60. Anni requiruntur &c. Ita Mazotta Tom: 2. tract: 4. de Restit.

Nota *2dò* Ad præscribendas res immobiles Civitatis requiruntur centum Anni; similiter contra Principem in Bonis Coronæ adnexis, ut sunt Prata Regia &c,

Nota *3tiò* Deniq; contra debita præscribit bona fides debitoris post 30. annos contra quemcunq; Creditorem. Ita idem Mazotta loco citato.

(———)

TRA-

TRACTATUS VIII.
De Contractibus.

§. I.
De Contractibus in Genere.

1. Q. *Quid est Contractus?*
R. Contractus strictè sumptus est Pactio quarundam Personarum inter se utrinq; obligationem pariens; seu est Conventio inter duos vel plures ultro citroq; obligans.

2. Q. *Quotuplex est Contractus?*
R. Duplex. Absolutus & Conditionatus. *1mus* est qui fit independenter à quacunq; conditione. *2dus* est, qui fit dependenter ab aliqua conditione extrinsecâ vg: dono tibi meum equum, si eris promotus ad hoc vel illud Officium vg: Judicis &c.

3. Q. *Quotuplex est adhuc Contractus?*
R. Duplex. Explicitus & Implicitus. Explicitus seu Formalis est, qui fit expressa partium conventione, & hic propriè dicitur Contractus. Implicitus seu Interpretativus est, qui fit implicitè solùm, & absq; ulla expressa pactione, ut vg: Tutela, & quodvis Officium.

4. Q. *Quotuplex est adhuc Contractus?*
R. Unus est Contractus strictè talis, & quasi Con-

Contractus. 1mus est Conventio facta voluntate propriâ eorum, qui postea obligantur, & dicitur pactum obligans ex justitia commutativa. 2dus est Conventio facta voluntate alterius, qui supplet voluntatem illius, qui postea obligabitur, ut si vg: Tutor contrahat pro Pupillo, seu nomine ejus.

5. Contractus est adhuc Duplex. Bonæ fidei, & stricti juris. Contractus Bonæ fidei est, in quo si oriatur dubium, judicatur non secundùm verba ejus expressa, & ex rigore justitiæ, sed secundum præsumptã mentem contrãhendo scilicet id voluisse, quod homines æqui & boni in eo velle solent; tales sunt: emptio, locatio &c. Contractus stricti juris est, in quo judicatur secundùm rigorem, & proprietatem verborum Legis & contrahentium, ut sunt promissio liberalis, stipulatio &c.

6. Alius est adhuc Contractus Pactum nudum, & alius vestitum. Pactum nudum est, quod sistit in sola conventione, & tale est omnis Contractus innominatus, antequam ex aliqua parte sit completus. Pactum vestitum est, quod præter conventionem habet aliquid aliud, quô ita firmetur, ut concedat in jure Civili actionem coram Judice. Vestitur autem septem modis, nimirum; Specificatione, Stipu-

lati-

latione, Juramento, Literîs, Traditione, Adhæsione, Privileg ô Juris.

7. Duplex est adhuc Contractus Nominatus & Innominatus. *imus* est, qui in jure habet proprium nomen ut vg: Venditio, Locatio, Depositum &c. *adus* est, qui non habet in jure proprium nomen, sed venit nomine generali Conventionis & Pacti; & sunt quatuor species talium Contractuum: Do ut des, facio ut facias, do ut facias facio ut des.

8. Q. *Quotuplex est adhuc Contractus?*
R. Duplex. Gratuitus & Onerosus. Gratuitus seu Lucrativus est, in quo nihil rependitur, & hic in uno parit obligationem, ut *Promissio, Donatio &c. Onerosus* est, in quo aliquid loco ejus quod datur reddi debet, vel præstari, & hic, in utroq; contrahente parit obligationem, ut fit in emptione, venditione, locatione &c.

§. 2.

De Contractibus in Specie.

1. Q. *Qui? & quot sunt Contractus Gratuiti?*
R. Sunt Octo. videlicet: Promissio, Donatio, Testamentum, Legatum, Depositum, Commodatum, Precarium, & Mutuum.

2. Q. *Quid est Promissio?*
R. Est actus, quo quis sponte & liberaliter polli-

pollicetur alteri aliquid dare, vel facere.

3. Q. *Promiſſio valida quot modis obligare deſinit ?*

R. Sex. 1mò Ceſſat Promiſſio obligare propter condonationem Promiſſarii. 2dò Propter ſupervenientē mutationem Status rerum. 3tiò Per mutationem objecti, ſi res promiſſa fiat impoſſibilis. 4tò Propter ingratitudinem Promiſſarii. 5tò Ceſſat promiſſio per compenſationem. 6tò Ceſſat ultimò obligare ob non ſubſiſtentiam Cauſæ principalis.

4. Q. *Quid eſt Donatio ?*

R. Eſt datio liberalis ſeu translatio Dominii alicus rei non debitæ ex juſtitia in alium. Et hæc eſt duplex, nimirum: Donatio mortis cauſa Donatio inter vivos. 1ma eſt, quæ propter ſuſpicionem mortis. 2da eſt, quæ fit ſine ulla mortis ſuſpicione ex mera liberalitate, & eâ intentione, ut res donata ſtatim fiat accipientis.

5. Q. *Quid eſt Teſtamentum ?*

R. Eſt voluntatis juſta Sententia de eo, quod quis vult fieri poſt ſuam mortem, cum directa inſtitutione hæredis. Quotuplex autem eſt Teſtamentum? & qui teſtari poſſunt? dictum eſt Tractatu præcedenti §. 6, à num: 11. &c.

6. Q. *Quæ Conditiones requiruntur ad Teſtamentum Solemne ?*

R.

R. Sex ſequentes: 1ma Hæredis inſtitutio. 2da Septem teſtes 3tia Ut ſint rogati. 4ta Ut ſint legitimi. 5ta Subſcriptio, & ſubſignatio horum teſtium. 6ta Unitas contextus requiritur, quod ſcilicet hæc omnia fiant uno tempore.

7. Q. *Quid eſt Legatum?*

R. Eſt donatio quædam à defuncto relicta, & ab hærede præſtanda

8. Q. *Quid eſt Depoſitum?*

R. Eſt id, quod alicui cuſtodiendum traditur, ut integrum reddatur

9. Q. *An Depoſitarius poſſit uti re apud ſe depoſita?*

R. Non poteſt. Quia uteretur illicitè re alienâ invitô Dominô.

10. Q. *Ad quid tenetur Depoſitarius, ſi res depoſita apud ipſum pereat?*

R. Si adhibuit diligentiam in cuſtodiendo, non tantum illam, quæ ab hominibus cõmuniter adhiberi ſolet, ſed etiam majorem, & maximam, quæ à diligentioribus & diligentiſſimis adhibetur, vacat culpâ, tam culpâ Juridicâ quàm Theologicâ, & liber eſt à reſtitutione. Idipſum ſentiendum eſt, ſi res caſu pereat apud Depoſitarium.

11. Q. *Quid eſt Commodatum?*

R. Eſt alicujus rei ad aliquem uſum ſpecialem gratuitò facta conceſſio pro tempore

pore expreſsè, vel tacitè determinato. vg: commodo tibi librum ad Annum.

12. Q. *Quid eſt Precarium ?*

R. Eſt gratuita conceſſio rei ad ſolum uſum pro tempore, nec expreſsè nec tacitè determinato; quod ideo vocatur precarium, quia ad preces alterius datur res utenda, donec eam concedens repetat.

13. Q. *Quid eſt Mutuum ?*

R. Eſt traditio rei numerô pondere, vel menſura conſtantis, facta eô animô, ut ſtatim fiat accipientis cum obligatione reſtituendi rem ſimilem in bonitate & ſpecie.

14. Q. *Ad quid tenetur mutuans ?*

R. Licet nulla ſit Obligatio mutuandi proximis, tamen ſi devenerint ad extremam neceſſitatem aut ſaltem ad gravem, tenemur eis ſuccurrere ex charitate, aut dando Eleemoſinam, aut dando mutuum ad ſublevandos eoſdem. Ita La Croix num. 849 quem citat Mazotta Tract: 3. de Contract: quæſt: 4 cap: 1.

15. Q. *An licet exigère aliquid pro mutuatione rei ?*

R. Non quia aliàs foret Uſura, quæ eſt prohibita in lege Veteri Levit. 25. & in Lege Nova Luc: 6 Benefacite, & mutuū date, nihil inde ſperantes

16. Q *Quo tempore, modô, loco, ſolvendum eſt Mutuum?*

R. Solvendum est secundùm omnia puncta condicti seu pactionis inter mutuantem & mutuatarium

17. Q. *Quotuplices sunt Creditores, sive Mutuantes ?*

R. Duplices. Hypothecarii, qui sibi non solùm habent obligatam Personam Debitoris, verùm etiam res immediatè illius ad satisfaciendum sibi, & suo mutuo in defectu Debitoris, sive per scriptum, sive tacitè per jus. Hyrographarii, qui solùm ipsam Personam Debitoris sibi tenent obligatam.

18. Q. *Quomodo procedendum est, si Debitor utriq; Creditori non sit sufficiens ad satis faciendum ?*

R. Talis Debitor tenetur in Conscientia prius quietare Hypothecarium quàm Hyrographarium non obstante, quod hic sit prior. Ita constat ex Lege cap: qui potiores in Pignore. Quodsi Creditores ambo essent æquales vg: Hypothecarii, prius solvendum erit illi, qui prius rem dedit suam mutuo. Ita Sylvester, Layman, Bonacina. plura La Croix lib: 3. parte 2. num: 374

§. 3.

De Contractibus Onerosis.

1. Q. *Quod sunt Contractus Onerosi ?*

R.

R. Septemdecim videlicet: Emptio, Venditio, Cenſus. Cambium, Societas, Sponſio, Laudus Locatio, Conductio, Emphiteuſis Libellus, Feudum, Aſſecuratio, Fidejuſſio, Pignus Hypotheca, Mons Pietatis. Huc ſpectat Uſura, quæ eſt jure prohibita, & de hac primô locô inſtituitur quæſitum.

2. Q. *Quid eſt Uſura?*

R. Eſt lucrum immediatè ex mutuo proveniens Ita comm: DD. Dicitur autem immediatè quia ſi Mutuatarius propria ſponte in vim gratitudinis aliquid tribuat, non erit Uſura, dummodo illud non exigatur à Creditore per modum debiti, nam hoc damnatum eſt ab Innocentio XI. Propoſit 24.

3. Q. *Quotuplex eſt Uſura?*

R. Duplex Expreſſa, quando expreſsè exigitur aliquod pretium pro mutuo, ut vg: dando mutuo 1000. Florenos, à quibus vult, & exigit Mutuatarius fl: 100. Et Palliata, quæ eſt, quando ob ſolam dilationem ſolutionis mutui exigitur plus aliquid juſtô ut vg: dans mutuo triticum ad ſeminandum prætendit ſibi reddi poſtea majori menſurâ meliori triticô, vel cum obligatione tempore Meſſis laborando pro commodato ſibi mutuo tritici &c. Quod peccatum in Regno noſtro communiſſimum eſt.

4. Q. *Quale est Peccatum Usura?*

R. Est quidem ex genere suo mortale, potest tamen à mortali excusare parvitas materiæ, seu lucri ex mutuo provenientis.

5. Q. *Quo Jure prohibita est Usura?*

R. Tam jure Divino, quàm Naturali, multò magis positivo humano.

6. Q. *An licitum sit in aliquo casu accipere aliquid vi mutui?*

R. Accipere aliquid ultra sortem sive summam Capitalem præcisè vî mutui est illicitum, juxta illud Deutero: 23. Fratr tuo absq; usura id, quô indiget, commodabis. Accipere autem aliquid vel ratione lu ri cessantis, vel damni emergentis, vel demum ratione periculi sortis principalis, seu Capitalis amittendi, licitum esse fatetur R. P. Flavianus Ricci à Cimbria in Thlgia Moral. R. P. Anacleti Reiffenstuel Restaurata Anno 1773. edita Bassani Tract 8. Distinc: 4 quæst: 4 num: 36 & 37. dummodo adsint sequentes Conditiones: *1ma* Ut absit omnis intentio lucrandi ex mutuo. *2da* Ut periculum sit verum, & probabilibus nixum fundamentis. *3tia* Ut sit liberum mutuatario dare cautionem, seu assecurationem sortis, neq; cogatur ad paciscendum de isto periculo. *4ta* Ut mutuans non plus exigat, quàm quod spectatis omnibûs

cir-

circumstantiîs juxta prudentis viri judicium, ratio periculi postulat. 5ta Ut serventur tàm Justitiæ, quā Charitatis leges. Fusius de Usura tractat Benedictus XIV. in sua Synodo Diæcesana editionis novissimæ 1758. lib: 10 cap: 4.

7. Q. *An licitum est accipere Provisionem seu Censum pro futuro tempore anni, tunc, cum datur Summa Capitalis ?*

R. Illicitum est. Siquidem Censuarius per Annum hâc provisionis pecuniâ potuisset aliquid lucrari.

8. Q. *An Authoritate Principum, vel consvetudine Provinciarum possit in mutuo aliquid exigi ultra sortem principalem per modum Provisionis, ut vocant Poloni ?*

R. Quamvis lex valeat Principum propter Dominium eorum altum, quæ ad evitandum majus malum statuit certum modum Usuris; ne videlicet Usurarii sub aliquo prætextu lucri cessantis, vel damni emergentis, aut Capitalis ammittendi nimium à Debitoribus extorqueant; nullâ tamen lege vel consvetudine possunt Usuræ reddi licitæ, Per hanc enim legem Principum non approbantur Usuræ ùt licitæ, cum contrariantur legi Naturali, Divinæ, Ecclesiasticæ & Civili, sed permittuntur tantùm partim ad evitanda majora mala, & peccata, prout quid simile

mile contingit in publicis Lupanaribus, & quibusdam aliis; partim ut fucouratur majori commodô Indigentium, & occurratur avaritiæ, & extorfioni Ufurariorum. Ita R. P, Flavianus à Cimbria in Thlgia inftaurata R. P. Anacleti Reiffenftul: Tract: 8 Dift: 4. quæft: 4. n. 44.

Nota *1mò.* Licet emaneverit ftatutum Deputatorum Imperii Spiræ 1600. & fit à Rudolpho II. Confirmatum. Totusq; Romani Imperii praxis permittat, ut mutuans accipiat annuatim 5. à centum florenis, id tamen permittitur folùm ex præfumptione lucri ceffantis, damni emergentis, aut alterius tituli justi. Ita Engel Tit: de Ufuris, num: 10.

Nota *2dò* In Regno Poloniæ determinata fuit olim in Comitiis Generalibus provifio à Summa Capitali vg: 100. fl: cenfus annui fl: 10. Succeffu verò temporis 7. à 100 Nunc à 100 manualis Summæ vulgò Rękodayne fl. 5. Ab Evictionali autem nunc feu od Wyderkaff à fl. 100. pendi & accipi determinatum eft quotannis fl. 3. gr: 15. Hæc provifio taliter determinata folvitur non vi mutui, & tanquàm Ufura lucratoria, fed permodum intereffe & tanquam Ufura compenfatoria, quia per talem Provifionem annuam Poloni provident fibi de fuo damno emergente,

aut

aut lucro cessante. Ultra determinatam sortem accipientes Usurarii sunt, & ad restitutionem tenentur. Ita R. P. Pikulski O. S. Francisci Parte 2. sect. 3. art. 3. num. 29. 30. & 31.

Nota *3tio* Hæc autem Provisio non debet à Summa sterili & otiosa accipi, cum pecunia sterilis nihil ex se acquirere potest, opponitur id Charitati proximi, quem tenemur in necessitate ejus gratis juvare, maximè cum id fieri possit sine nostro damno. Exceptis his duobus casibus: *1mò* Si non redderetur summa statuto tempore, quia ex tali dilatione posset mutuans habere aliquod damnum; nam pecunia, quæ hôc annô otiosa & sterilis, futurô poterit esse necessaria mutuanti. *2dò* Si non redderetur ejusdem ponderis, & monetæ.

9. Q. *Quid est Emptio?*

R. Est Contractus, quô paciscor dare pecuniam, vel prætium pro re.

10. Q. *Quotuplex est pretium?*

R. Duplex, Legitimum & Vulgare. *1mū* est, quod lege est taxatum, & consistit in indivisibili, nec illud licet transgredi, *2dum* est, quod communi hominum æstimatione introducitur, & hoc habet suā latitudinem.

11. Q. *Quotuplex est pretium Vulgare?*

R.

R. Triplex Aliud eſt infimum ſeu pium vg: 19 floreni. Aliud medium ſeu moderatum vg: 20. floreni. Aliud ſummum ſeu rigoroſum vg: fl: 21. & hæc omnia ſunt juſta pretia, atq; his omnibûs licet emere & vendere; ultra tamen ſummum pretium non licet quid accipere. Datur adhuc pretium arbitrarium, quod ſecundùm affectum & privatam æſtimationem ſuam tribui poteſt, vg: pro gemma rariori, pictura antiqua, equo generoſo, cane præclaro. Verumtamen carius vel vilius rem, quàm valet emere, ſi in notabili quantitate fiat, eſt ſecundum ſe injuſtum & illicitum ait S. Thom: art: 1. in 6. & tenetur ad reſtitutionem. Ita Fliegen. Thlgiæ Moral: cap: 9 de Reſtitut.

12. Q. *Quid eſt Venditio?*

R. Eſt Contractus quô paciſcor dare rem pro pretio. Juſtitia hujus Contractus conſiſtit in eo, ut ſit æqualitas pretii ad rem. Ita S. Thom: quæſt: 77 art: 2. ad 3.

13. Q *Quotuplicia ſunt rei venditæ vitia?*

R. Triplicia 1*mum* eſt ſecundùm ſpeciem rei, ut vg: ſi quis vendat vitrum pro Adamante 2*dum* eſt ſecundùm quantitatē; ut ſi quis utatur menſurâ. ulnâ, modiô, pondere, minoribûs 3*tium* eſt ſecundùm qualitatem. ut vg: ſi animal infirmum vendatur pro ſano, Hæc omnia obligant

ad

ad restitutionem, quia in re gravi proximus decipitur. Ita S. Thom: art: 3.

14. Q. *Quid est Census?*

R. Est jus percipiendi pensionem aliquam ex re utili, vel Persona alterius.

15. Q. *Quotuplex est Census?*

R. Duplex. Reservativus, & Consignativus *1mus* est, quando quis transfert rem suam in alterum, quo ad Dominium directum & utile, donando, legando, vendendo, aut permutando, servatâ tamen sibi pensione annua super eadem re, ut vg: Do tibi meum prædium, & reservo mihi quotannîs solvendos aureos 10. *2dus* est, quando quis super Bonis suis, quorum retinet Dominium directū & utile, vel etiā super Persona sua consignat, seu constituit alteri jus pensionis annuæ, ut vg: Consigno tibi ex prædio meo quotannis fl: 100. percipiendos.

16. Q. *Quotuplex est Census Consignativus?*

R. Dividitur *1mò* ratione materiæ in Realem, Personalem, & Mixtum, Realis est, qui immediatè constituitur in re aliqua vg: Villa, Prædio, Domo &c. Personalis est, qui immediatè constituitur super Persona, quæ seipsam obligat ad solutionem pensionis. Mixtus est, qui constituitur immediatè super re, & super Persona, ita, ut etiamsi res pereat, persona tamen

ma-

manet obligata, & vice versa. 2dò dividitur ratione Pensionis, in censum certum & incertum. Certus est, cum constituitur pensio annua semper æqualis. Incertus est, cum constituitur pensio annua indeterminata vg: tertia vel quarta pars fructuum annuatim productorū. 3tiò dividitur ratione Temporis, in temporalem & perpetuum. Temporalis est, qui vel extenditur ad certum tempus, vg: ad 10. aut 20. annos, vel extenditur ad tempus incertum vg: ad vitam unius, duorum, vel trium hominum, & sic dicitur Census Vitalitius. Perpetuus est, qui per se non habet finem. Et hic est Duplex: Redimibilis & Irredimibilis. 1mus est, qui rest tutô per Venditorem pretiô redimi potest. 2dus est, qui redimi nequ t.

17. Q. *Quæ sunt Conditiones requisitæ, ut Contractus Censualis sit licitus?*

R. Sunt sequentes: 1mò Ut Census constituatur in re frugifera ut est vg: Domus, Ager &c. 2dò Ut justô pretiô census ematur, & vendatur. 3tiò Ut si res censui subjecta ex parte vel ex toto pereat, vel in perpetuum infrugifera reddatur, etiam ipse census pro rata, seu juxta commensurationem ex parte, aut ex toto pereat. At Pius V. in Bulla: Cum O-

nus

nus. Anno 1569. præſcribit conditiones 12. quas enumerat ſuccinctè Nicolaus Mazotta. Tom. 2. Theol: Moral: Tract. 3. de Contract: q. 2. de Cenſibus c. 1. fol: 125.

18. Q. *Quid eſt Cambium?*

R. Eſt permutatio pecuniæ pro pecunia inter Campſorem & Campſarium. Differt à mutuo per hoc, quia mutuum poteſt eſſe in tritico, Vino, Oleo &c. Cambium autem in ſola pecunia.

19. Q. *Quotuplex eſt Cambium?*

R. Duplex. Reale ſeu manuale, & Locale. *1mum* eſt, quando moneta minor datur pro majori, vel argentea, pro aurea. *2dum* eſt, quando datur pecunia in uno loco, ut reddatur in altero loco, & quia hoc ſolet fieri plerumq; per Literas, dicitur etiam Cambium per Literas, ſeu Literarium. Qui pecuniam aliô locô recipiendam offert, appellatur Campſarius, & qui præſtare tenetur, vocatur Campſor.

20. Q. *Quæ Conditiones intervenire debent, ut Cambium ſit licitum?*

R. Tres. *1ma* eſt, ut careat fraude, & ſimulatione. *2da* Ut nihil accipiatur pro ſola dilatione. *3tia*. Ut ſervetur juſtum pretiũ, nempe: quod taxatum eſt à lege, vel conſvetudine, aut prudentum judiciô

con-

consideratîs laboribûs, industriâ, periculîs expensis &c.

21. Q. *Quid est Contractus Societatis?*

R. Est duorum vel plurium conventio ad conferendum aliquid in Commune lucrū & damnum juxta proportionem rerum contributarum.

22. Q. *Quotuplex est Societas?*

R. Duplex. Expressa & Tacita. Expressa est, quæ verbîs, seu literîs expressîs de rerum suarum communione inter duos, vel plures deliberatè contrahitur. Tacita est, quæ sive verbîs, sivè literîs per actus sociales, rebûs ipsîs contrahitur.

23. Q. *Quotuplex est adhuc Societas ratione finis?*

R. Triplex. Alia est Societas ad lucrum tantùm, quod debet esse commune, ut ut fit in negotiatione. Alia ad usum tantùm, ut sunt milites ex communi marsupio expensas facientes. Alia ad utrumq; videlicet ad lucrum, & usum, ut Societas Matrimonii.

24. Q. *Quotuplex est Societas ratione Materiæ?*

R. Duplex. *1ma* est Societas omnium Bonorum, ut inter Conjuges; in qua omnia Bona sivè præsentia, sivè futura, quocunq; titulô fuerint acquisita, durante

Soci-

Societate communicantur, nisi aliter ab initio conventum fuerit, 2da est Specialis pro aliquibus Bonis, prout conventio designaverit.

85. Q. *Quotuplex est adhuc Societas ratione temporis?*

R. Alia est Societas ad vitam, alia ad tempus determinatum, seu usq; ad finem alicujus negotii. Mazotta Tom: 2. Tract 3. de Contractibus quæst: 4 cap: 2.

Nota Contractus Societatis sex modîs finitur. *1mò* Finitô tempore ad Societatem constituto. *2dò* Finita negotiatione. *3tiò* Per renuntiationem, seu consensum mutuum omnium Sociorum. *4tò* Morte naturali unius Socii, etiamsi cum pluribus contracta sit Societas. *5tò* Solvitur Societas interitu rei. *6tò* Egestate alterius Socii, ut vg: quando Bona ejus publicantur, aut oppressus ære alieno, cedit bonis suis.

§. 4.

De Sponsione, Ludo, Locatione &c.

1. Q. *Quid est Sponsio?*

R. Est Contractus, in quo duo vel plures de Veritate, vel eventu alicujus rei contendentes, sibi invicem aliquid spondent,

dent, ut ejus ſit, qui veritatem fuerit aſſecutus.

2. Q. *Quæ ſunt? & quot Conditiones juſtæ Sponſionis?*

R. Quatuor. *1ma* eſt, ut fiat ſuper re dubia. *2da* Ut ſit dubius eventus in utroq; ſpondente. *3tia* Ut eodem ſenſu uterq; accipiat id, de quo certatur. *4ta* Ut ſit æqualitas in re, quæ ſpondetur, cum æquali incertitudine. Ita Molina, Leſſius, Lugo. D. 31. ſ. 6.

3. Q. *Quid eſt Ludus?*

R. Eſt Contractus, quo ludentes paciſcuntur inter ſe, ut Victori cedat, quod uterq; depoſuit.

4. Q. *Quot ſunt ſpecies ludorum?*

R. Tres. *1mò* Solius ingenii, induſtriæ, & virium, ut vg: Curſus, Saltus, Lucta, pila, haſtiludium, ac torneamenta. *2dò* Solius fortunæ, taxilli &c. *3tiò* Mixtus, qualis eſt alea &c. *1mò*. Ex his torneamenta prohibentur cap: 1. de Torn: ubi qui occiſi fuerunt, privantur Eccleſiaſticâ Sepulturâ. Sub eadem pœna prohibentur agitationes taurorum & ferarum à Pio V. ubi etiam excommunicantur ipſô factô Principes ſive Eccleſiaſtici ſive Sæculares eas permittentes. *2dò* Prohibentur quoq; Ludi taxillorum, & alearum etiam Laicis L. 2. cap: de alearum &c.

5. Q.

5. Q *Quæ ſunt Conditiones juſti Ludi?*
R. Quatuor. *1ma* eſt ut ſine vi. *2da* Sine dolo & fraude. *3tia* Ut ludens poſſit diſponere, de re, quam ludo exponit. *4ta* Ut ſit æqualis colludentium.

6. Q. *Quid eſt Locatio & Conductio?*
R. Sunt unicus Contractus, quô quis Perſonam, aut rem aliquam mobilem vel immobilem alteri ad tempus utendam, vel fruendam concedit certô pretiô, aut mercede, ſeu penſione ſibi conſtituta; unde is eſt locator, alter verò conductor ſeu locatarius.

7. Q. *Quid eſt Emphiteuſis?*
R. Eſt Contractus, quô retenta proprietate conceditur alicui in perpetuum, vel ad vitam unius, aut plurium, vel ſaltem ad decennium Dominium utile in rem aliquam immobilem culturâ meliorandam cum onere, ut quotannis ſolvat Canonem, ſeu penſionem realem in pecunia, vel fructibus Domino proprietatis, vel ejus legitimo hæredi.

8. Q. *Quid eſt Feudum?*
R. Eſt conceſſio rei immobilis pro Homagio. Seu eſt Contractus, quô res immobilis alicui conceditur, quo ad Dominium utile, cum onere exhibendi fidelitatem & obſequium Perſonale Domino directo. Feudatarius ſeu Feudi acceptor vocatur

Va-

Vasallus, qui si non præstat obsequium, & fidelitatem promissam, amittit Feudum.

9. Q. *Quid est Libellus?*

R. Est Contractus subfeudalis, seu sub emphiteuticus quô quis Feudum vel Emphitousim ab aliis acceptam alteri tradit sub justa & mensurata pensione.

10. Q. *Quid est Pignus?*

R. Est Contractus, quô res mobilis consignatur Creditori in securitatem crediti, quousq; non reddet debitum.

11. Q. *Quid est Hypotheca?*

R. Est Contractus, quô res immobilis obligatur Creditori in securitatem crediti.

12. Q. *Quotuplex est Hypotheca?*

R. Duplex Expressa & Tacita. *1ma* est, quæ habetur ex conventione partium, quâ obligas rem tuam alteri, & hæc potest esse, vel specialis, cum scilicet obligas rem determinatam vg: talem fundum vel Generalis, quâ scilicet obligas omnia Bona, *2da* verò seu tacita est, quæ implicite involvitur in aliquo Contractu ex dispositione Juris vg: in Bonis Mariti, quæ tacitè Hypothecata sunt Bona pro Dote.

13. Q. *Quid est Assecuratio?*

R. Est Contractus, quô quis alienæ rei periculum in se suscipit, obligando se ad eam compensandam, etiam casu perierit

14. Q. *Quid est Fidejussio?*
R. Est Contractus quò quis in se suscipit obligationem debiti alieni implendam, si Debitor principalis non solverit.

15. Q. *Quis potest Fidejubere, seu fidem pro alio dare?*
R. Illi tantùm possunt fidejubere, qui habent Bona, & liberam eorum administrationem.

16. Q. *Quid est Contractus vocitatus Mons Pietatis?*
R. Est summa aliqua pecuniæ tritici &c. in communi posita destinata ad mutuandum indigentibus, salvô Capitalì.

17. Q. *Quod sunt Conditiones hujus Contractûs Montis Pietatis?*
R. Tres. *1ma* est, ut mutuum detur ad certum tempus. *2da* Ut Mutuatarius det Pignora custodienda apud Administratores, quæ si debitum præfixo tempore non solvatur, venduntur, retentâ, à Monte portione sibi debitâ, reliquâ ipsis mutuatariis redditâ. *3tia* Ut Mutuatarius pro rata pecuniæ mutuatæ, & temporis solvat aliquid modicum ultra ad sustentandos Ministros.

Nota. Officiales Montis pecuniam distrahentes in alios usus, quàm pauperum, incurrunt Excommunicationem Pauli V. Papæ reservatam, per Bullam, quæ incipit: Onerosa.

TRACTATUS IX.

De Præceptis Decalogi & Restitutione.

§. 1.

1. Q *Quid sunt Præcepta Decalogi?*
R. Sunt illa, quæ DEUS tulit in Monte Sinai, Moysiq; tradidit duabus tabulis lapideis insculpta atq; Populo Israëlitico promulganda, ut legitur Exodi. 20 & Deut. 5.

2. Q. *An Præcepta Divina possunt observari?*
R. Omnino. Auxiliante DEI Gratiâ, omnia enim possumus in Eo, qui nos confortat. Phil: 4. Aliàs si impossibilia nobis DEUS præciperet, non esset Bonus, si autem transgressores non puniret, non esset Justus

3. Q. *Quotuplicia sunt Præcepta Decalogi?*
R. Duplicia Primæ & Secundæ Tabulæ. Præcepta *1mæ* tabulæ sunt illa, quæ propter Bonum DEI, & quasi in prima tabula scripta fuerunt, & sunt tria. Reliqua verò Septem *2dæ* tabulæ condita sunt propter hominem, ne unus alteri inferat injuriam, & hæc erant quasi sculpta in secunda tabula.

4. Q. *Quotuplicia sunt adhuc Præcepta?*
R. Duplicia. Alia sunt de Jure naturæ absolu-

ſoluto, ut præceptum non blaſphemandi &c. & Alia ſunt de Juræ naturæ conditionato, ut præceptū furandi, non occidendi; In duobus prioribus DEUS diſpenſare non poteſt, cum ſint intrinſecè mala, poteſt tamen in poſterioribus: ſic Iſràélitis conceſſit, ut Ægiptiis auferrent vaſa aurea. Abrahamo præcepit, ut occideret Filium Iſaac In mendacio quoq; & falſo teſtimonio Doctores multi tenent, DEUM diſpenſare non poſſe, cum ſint etiam intrinſecè mala, & repugnant Veritati Divinæ.

5. Q. *Quotuplicia ſunt adhuc Præcepta?*

R. Duplicia. Affirmativa & Negativa. 1ma ſunt, quæ bonum præcipiunt, & obligant ſemper, ſed non pro ſemper. 2da vero præcepta nempè Negativa, quæ malum prohibent, & iſta obligant ſemper, & pro ſemper, nam nunquam licet plures Deos colere &c.

6. Q. *Quod eſt Objectum horum Præceptorū?*

R. Tria priora ex illis reſpiciunt immediatè DEUM, vocanturq; 1mæ tabulæ, Septem autem poſteriora reſpiciunt Proximum, & dicuntur 2dæ tabulæ.

7. Q. *Quis eſt Author horum Præceptorum?*

R. Solus DEUS, qui ut Supremus Dominus, ſtatim poſt Creationem primi hominis ea indidit naturæ humanæ, & cordi-

bus impressit; quæ pravitate morum & iniquitate, cum obscurata fuissent, tradidit ea scriptô Moysi in Monte Sinai ut dictū.

§. 2.

De Primis tribus Præceptis.

1. Q. *Quod est Primum Præceptum Decalogi?*
R. Ego sum Dominus DEUS tuus - - - Non habebis Deos alienos coram me. *Exod:20.*

2. Q. *Quale est Præceptum?*
R. Partim Affirmativum, quatenùs aliquid præcipit, estq; ejus sensus: Me unum verum DEUM coles. Et partim Negativum, quatenus aliquid prohibet, estq; ejus sensus: Diis alienis cultum non adhibebis.

3. Q. *Circa quod versatur hoc 1mum Præceptum Decalogi, prout est Affirmativum?*
R. 1mò versatur circa actus virtutis Religionis, mandatq; Uni DEO verum Cultum venerationemq; debitam esse præstandam. 2dò Circa Virtutes Theologicas, quibûs immediatè attingimus DEUM, tanquam Objectum, & finem nostrum ultimum.

4. Q. *Circa quod versatur hoc primū Præceptū quatenus est Negativum?*
R. Circa vitia Religioni opposita, & virtutibus Theologicis, ut sunt Idololatria, Infide-

fidelitas &c. ea nimirum prohibendo, de quibus jam dictum Tract: 1 de Relig: & Virtutibus Thlgicis.

5. Q. *Quod est secundum Præceptum Decalogi?*
R. Non assumes Nomen Domini DEI in vanum *Exod 20.*

6. Q *Quale est hoc Præceptum?*
R. Partim Affirmat vum, dum præcipit Nomini Divino reverentiam exhibendam, partim Negativum dum prohibet assumere Nomen Domini in vanum.

7. Q. *Quid præcipit hoc Præceptum Divinum, inquantum est Affirmativum?*
R. 1mò præcipit debitũ honoré Divino Nomini impendendũ. ac reverentialẽ Ejus invocationem. 2dò Ut in Nomine isto juremus in veritate, justitia. & judicio. *Jerem. 4* 3tò Ut in Nomine Ejus vota faciamus, & expleamus juxta illud: Vovete & reddite Domino DEO Vestro. *Psalm. 75.*

8. Q. *Quid prohibet hoc Præceptum Divinum, inquantum est Negativum?*
R. Prohibet ne hoc Divinissimum Nomen quôq; modô irreverenter assumamus falso jurando, Nomen DEI in rebus levissimis in testimonium adducendo, blasphemando, vota non servando &c de quibus dictum est Tract: 6. de voto & Juramento.

9. Q. *Quod est tertium Præceptum Decalogi?*

R.

R. Memento ut Diem Sabbathi sanctifices.

10 Q. *Quale est hoc Præceptum ?*

R. Partim est Morale, partim Cæremoniale, quatenus est Morale, obligat defactô, non verò quatenus est cæremoniale. Præterea hoc præceptum est Affirmativum simul & Negatium, quia præcipit opera quædam virtuosa, & prohibet servilia, & optimè subjungitur duobus prioribus præceptis Decalogi, nam vi primi DEUM colimus corde, vi secundi ore, vi tertii hujus opere.

11. Q. *Quæ sunt artes liberales de Festo non prohibitæ ?*

R. Septem, hôc versu expressæ:

Lingva, tropus, ratio, numerus, sonus, angulus, astra.

videlicet: Artem Grammaticam, Pòëticam, Oratoriam, Discursivam, Arithmeticam, Musicam, Geometricam, Astronomicam, Mathematicam &c. esse licitam Die Festo quo ad exercitium.

12. Q. *Quæ sunt Artes Mechanicæ die Festo prohibitæ ?*

R. Sunt sequentes hôc Versu expressæ:

Rus, nemus, arma, faber, vulnera, lana, rates

Ex quo deducitur illicitā esse Agriculturā Venationē, Artem militarē, fabrilē Hirurgicam,

gicam, Textoriam. & Nauticam; ac præsertim ad illam partem, quæ respicit opera servilia.

§. 3.

De Quarto & Quinto Præcepto.

1. Q. *Quod est Quartum Præceptum Decalogi?*
R. Honora Patrem & Matrē tuam, ut sis longævus super terram. *Exod. 20.*

2. Q. *Qui intelliguntur nomine Parentum in isto Præcepto?*
R. *1mò* Parentes, qui secundùm carnem nos genuerunt *2dò* Superiores, potestatem spiritualem in nos habentes; ut sunt Episcopi, Curati, Pastores &c. *3tiò* Superiores, potestatem in nos sæcularem habentes; quales sunt Reges, Principes, Duces &c. *4tò* Illi, qui aliquam in nos habent potestatem; quales sunt Magistri, Tutores.

3. Q. *Quid intelligitur nomine Honoris præstandi Parentibus?*
R. Tria hoc nomine significantur, videlicet: Reverentia, Amor, & Obedientia. Et quidèm Reverentiam tenemur præstare Parentibus ex virtute Pietatis, non tantùm internè, sed etiam externè. Quantum ad amorem, tenemur illos verè

dili-

diligere, ſiquidē taliter eſt quilibet proximus diligendus. Quantū den q; ad Obedientiam, tenemur illis obedire in illis quæ ſpectant ad bonos mores, vel ad Domûs gubernatione, ita ut Filii non obedientes in materia gravi, juſta, & honeſta, peccent mortaliter.

4. Q. *Quod eſt Quintum Præceptum Decalogi ?*

R. Non occides. *Exod. 20.*

5. Q. *Quale eſt hoc Præceptum ?*

R. Negativum. Et obligat ſemper pro ſemper, quia nunquam licet occidere.

6. Q. *Quid hoc Præcepto Decalogi prohibeatur ?*

R. *1mò* prohibetur non tantum occiſio injuſta hominis, ſed etiam quæcunq; alia læſio corporalis proximi; uti eſt vulneratio, mutilatio &c. *2dò* prohibetur quodcunq; Convitium, tam próbroſum, quàm injurioſum verbum ex ira, vel appetitu vindictæ prolatum in proximum. Item quilibet iræ motus præſcriptum à ratione modum excedens, nec non injuſtus appetitus vindictæ, eſto nullô verbô, ſignô, & actu fuerit manifeſtatus.

7. Q. *Quotuplex eſt Homicidium ?*

R. Duplex. Voluntarium & Caſuale, utrumq; patet ex terminis.

8. Aliud eſt Simplex, aliud Qualificatum.

1mum est, quod solet communiter fieri. 2dum est, quod ratione alicujus qualitatis Personæ occidentis, aut occisæ, vel aliarum circumstantiarum habet sibi specialem malitiam annexam, & pænam & tale est homicidium, occisio Parentum, Consangvineorum, vel Clerici, aut Monialis.

9. Item aliud est homicidium Proditorium, quando quis vg: sub specie amicitiæ alterum venenô noctu, vel per insidias occidit. Aliud est Assasinum quando quis datâ pecuniâ conducit occisorem, aut illâ acceptâ conductus occidit.

10. Q. *Quot modis committi potest Homicidiū?*
R. Sex Factô Consiliô, Mandatô, Defensione, Permissione, & Auxiliô.

11. Q *An licitum est occidere Invasorem privatâ authoritate ?*
R. Si certum, sit, quod insidiatur vitæ suæ aggressor, poterit eum Innocens non solum occidere, sed etiam prævenire ictum Invasoris. Ita Communis DD. ex C. Dilecto, de Sentent. Exccomm: in 6. &c.

12. Q. *An ad tuenda Bona fortunæ majoris momenti licitum est de nocte occidere furem ?*
R Etsi Doctores olim asserebant licitum esse occidere furem in defensionem suarum

rum facultatum; si is sit nocturnus, aut si sit diurnus, telô tamen se defendat, ut & tenet Covarruvias in Clem. Si furiosus part. 3. §. un. num 6. ac Lesius cum aliis. Tamen cum talia à DEO esse permissa, neq; ex Divinis Literis, neq; ex Patrum traditione, neq; ex Ecclesiæ Constitutionibus patet, idcirco nunc illicitũ esse asseritur occidere furem sive nocturnum sive diurnum etiamsi se armis defendat. Ita R. P. Flavianus Ricci à Cimbria in Thlgia Instaurata' R. P. Anacleti Reiffenstul. Tract: 9. Dist: 3. q. 3. num. 21. de Præceptis Decalogi.

Nota *1mò* Ad defendenda ~~Bona animi~~, nimirum Fortunæ & Honoris, non est licitum occidere Calumniatorem. Ita Communis Thlgorum modernorum sicut dicit Anselmus Schnel. O. S. B. Part: 3. Tract 1. Thlgiæ Moralis num. 26.

Nota *2dò* Etiam Pudicitiæ Invasorem occidi posse affirmant Recentiores Thlgi Cõmuniter, quando Pudicitia aliter defendi non potest, verum oppositam sequi sententiam cum S. Augustino nos convenit, qui lib. 1. de liber arbitr. Cap: 5. & lib: 1. de Civitate cap: 25. concludit non licere. Ita Citatus Author locô ut supra num: 19.

§. 4.

§. 4.

De Sexto Præcepto Decalogi.

1. Q. *Quod est sextum Præceptum Decalogi?*
R. Non Mæchaberis *Exod 20.*

2. Q. *Quid hôc Præcepto prohibetur?*
R. Omnis actus Impudicitiæ & Luxuriæ in materia venerea.

3. Q *Quid est Luxuria?*
R. Est inordinatus appetitus, vel usus Venereorum.

4. Q. *Quotuplex est Luxuria?*
R. Duplex. Perfecta, quando ordinatur ad habendos actus venereos. Et Imperfecta, quando ultimus finis non est executio rei venereæ, sed se continet in morosa delectatione sensitiva, seu sensitivorum.

5. Q. *Quot sunt species Luxuriæ?*
R. Septem. Simplex Fornicatio, Adulterum, Incestus, Stuprum, Raptus, Sacrilegium, Vitium contra naturam. Ita Mastrius, Sannig, Reiffenstul, & alii.

6. Q. *Quotuplex est Vitium contra naturam?*
R, Triplex Mollities, Bestialitas, & Sodomia, Addunt etiam aliqui indebitum concubendi modum; ut Mastrius & Reiffenstul.

7. Q. *Quid est Fornicatio?*

R. Est

R. Eſt peccatum Luxuriæ, quô ſolutus cum ſoluta per carnalem commixtionem peccat Ita Communis. Et eſt peccatum mortale, ut conſtat ex doctrina S. Pauli Eph: 5 Omnis Fornicator, aut immundus non habet hæreditatem in Regno Chriſti & DEI.

8. Q. *Quotuplex eſt Fornicatio?*

R. Duplex. Perfecta, & Imperfecta. Prima contingit. quando ſemen Viri ſoluti immittitur in vas debitum fæminæ ſolutæ. *2da* eſt, quando Vir aut nullum ſemen emittit, aut extra vas conſultò, ut impediat imprægnationem.

9. Q. *Quid eſt Adulterium?*

R. Eſt peccatum Luxuriæ, quô violatur fides Conjugalis, & fit acceſſus ad alienum thorum.

10. Q. *Quot modis ſolet fieri Adulteriū?*

R. Tribus. *1mò* quando ſolutus peccat cum Conjugata. *2dò* Quando Conjugatus peccat cum Conjugata. *3tiò* Quando Conjugatus peccat cum ſoluta.

11. Q. *Quid eſt Stuprum?*

R. Eſt peccatum Luxuriæ, quo ſtuprator per vim invitam corrumpit, & deflorat Virginem; & hoc peccatum gravius eſt Adulteriô, pro illoq; juxta jus commune Cæſareum pena mortis eſt infligenda.

12. Q. *Ad quid tenetur, qui vi, vel fraude defloravit Puellam?*

R.

R. Tenetur eam ducere, vel damnum reparare. Ita Navarrus cap: 16. n. 17. Qui verò eam defloravit, cum promissione futuri Matrimonii, tenetur eam ducere, quia omne promissum cadit in debitum

13. Q. *Quid est Incestus?*

R. Est peccatum Luxuriæ cum Consangvinea, vel affine intra gradus jure prohibitos comissum, & est peccatum ex genere suo mortale, additq; specialem malitiam in Confessione aperiendam, ut docent DD. Communiter.

14. Q. *Ad quos gradus extenditur Incestus? & an tenetur confiteri incestuosus, in quo gradu peccavit?*

R. Ad 1mum. Juxta Constitutionem Concilii Trident. Sess: 24. de Reform. Matri. cap: 4. si sit ex copula illicita, extenditur ad secundum gradum, si ex licita ad quartum Quo ad 2dum Respondetur. Non conveniunt DD. probabilior tamen est & tutior Sententia in praxi sequenda Confessario, ut videlicet Incestuosus exprimat gradû cognationis vel affinitatis, siqvidem Confessarius tamquam Judex ex omni parte plenam & perfectã debeat habere notitiam, & judicium status pænitentis. Ita P. Pikulski Part. 2. sect; 3. art. 5. de Præceptis Decalogi.

15.

15. Q. *Quid eſt Raptus ?*

R. Eſt abductio violenta Perſonæ ad libidinem explendam

16. Q. *Quot Conditiones requiruntur ad Raptum propriè dictum ?*

R. Juxta DD. Tres. *1ma* eſt, ut abducatur Perſona è Domo ſua vel Paterna, & in alia detineatur. *2da* eſt, ut abductio illa ſit cauſa libidinis, vel Matrimonii contrahendi. *3tia* requiritur vis illata, unde ſi conſentit fæmina, non erit raptus, ſed potius fuga voluntaria.

17. Q. *Quæ ſunt pœnæ ſtatutæ pro Raptoribus ?*

R. In Jure Civili eſt pæna Capitis. In Jure vero Canonico publica pænitentia, ut Raptor ſine ſpe Conjugii maneat. Cap: Rapt: Trident: Seſſ: 24. de Reformat: Matrim: cap. 6. Addidit alias adhuc *1mò* pænam Excommunicationis ipſò factô incurrendam, *2dò* perpetuam infamiam. *3tiò* Nullitatem Matrimonii inter Raptorem & Raptam, quamdiu hæc in poteſtate illius manſerit.

18. Q. *Quid eſt ? & quotuplex Sacrilegium ?*

R. Eſt violatio rei Sacræ, ſeu DEO dicatæ. Eſtq; Triplex. Reale, Perſonale & Locale, hòc locô de Sacrilegio Perſonali. Duobus autem modîs poteſt fieri Sacrilegium per Fornicationem. *1mò*

Quan-

Quando fornicatur Perſona libera cum Sacra, ſeu Votô Caſtitatis obſtricta vg: Aulicus cum Moniali, vel è contra Clericus aut Religioſus cum ſæculari ſæmina. 2dò quando utraq; Perſona fornicans eſt voto Caſtitatis obſtricta ut vg: Clericus cum Moniali.

19. Q. *Quid eſt peccatum contra Naturam?*
R. Eſt peccatum Luxuriæ, quô pervertitur ordo naturæ præſcriptus, ita ut conceptio fieri nequeat, & vocatur Mollit es

20. Q. *Quot ſunt Species Mollitiei ſeu vitii contra Naturam?*
R. Quatuor. Mollities, Beſtialitas, Sodomia, & indebitus concubendi modus.

21. Q. *Quid eſt Mollities?*
R. Eſt peccatum contra Naturam, per quod voluntaria pollutio, ſeu ſeminis effuſio quæritur extra ſeu foris in Maſculis, intus in fæminis ſeu in matricem.

22. Q. *Quotuplex eſt Mollities?*
R. Duplex. Una ſimplex, quæ ſolet fieri extra concubitum; & Alia qualificata, quæ fit in ipſo concubitu.

23 Q. *Quid eſt Beſtialitas?*
R. Eſt peccatum Luxuriæ contra Naturam, quando quis concũbit cum re inanimata, non ejuſdem ſpeciei cum homine vg: equa, vacca, ove, cane &c. & hoc

pec-

peccatum est gravissimum, quod in foro sæculari pænâ combustionis punitur.

24. Q. *Quid est Sodomia?*

R. Est peccatum contra Naturam, quô ex affectu venereo, ad indebitum sexum vir concumbit cum viro, vel fæmina cum fæmina Ita S, Thom. 2. 2. q 154 art. 2. & vocatur Sodomia perfecta. Vel est Concubitus diversi sexûs; sed extra vas naturale, & vocatur Sodomia imperfecta.

25. Q. *Quæ pæna statuta pro Sodomitis?*

R. Jure Civili tanti sceleris rei igne concremantur Jure verò Canonico juxta Bullam Pii V. quæ incipit: Horrendum &c. Clerici Sodomitæ ipso Jure sunt privati Privilegiô Clericorum, Dignitate, Beneficiô, & Officiô Ecclesiastico. Hæc Constitutio licet obliget in Conscientia, tamen quo ad Excommunicationem pro foro externo requiritur Sententia Judicis ut asserit P Reiffenstuel.

26. Q. *Quid est indebitus concumbendi modus?*

R. Est peccatum contra naturam, per quod vir concumbit cum fæmina modô indebitò, ita ut impediatur generatio. Sic peccat, qui extra vas effundit semen, aut præpostere cum Uxore coït.

§. 5.

§. 5.

De Septimo Præcepto Decalogi.

1. Q. *Quod est Septimum Præceptum Decalogi?*

R. Non furtum facies *Exod* 20.

2. Q. *Quæ prohibentur istô Præcepto?*

R. Juxta Communem DD. Sententiam non tantum prohibetur furtum, sed etiam quæcunq; injusta alienæ rei contrectatio, aut damnificatio, non solum in bonis fortunæ, sed etiam in bonis famæ.

3. Q. *Quid est Furtum?*

R. Est occulta acceptio rei alienæ Dominô rationabiliter invitô. Ita Com DD.

4. Q. *Quæ requiruntur ad rationem furti?*

R. Hæc quatuor. *1mò* quod sit acceptio occulta. *2dò* quod sit rei alienæ acceptio sibi nullô modô debitæ. *3tiò* quod furtum sit propter lucrum furis factum. *4tò* quod debeat esse invitô rationabiliter Dominô.

5. Q. *Quot modîs damnificatur Proximus in bonis temporalibus?*

R. Tripliciter (Bona auferendo, damna illata non reparando, & Contractus iniquos perficiendo.

6. Q. *Quot sunt species Furti?*

R. Si clam res aufertur, dicitur Furtum

Si per vim, Rapina. Si res Sacra, vel in locum Sacrum ad Depositum data, erit Sacrilegium. Si Possessio spectans ad Rēpublicam, Peculatus Si Grex dispersus, Abigeatus. Si Homo ut venumdetur, Plagium. &c.

7. Q. *Quæ requiritur quantitas ad grave peccatum in furtis minutis ?*

R. Non potest quidem certa assignari quantitas, hæc tamen Confessario erunt attendenda: *1mò* Quantitas materiæ ablatæ. *2dò* Persona damnificata per talia furta cum suo statu, situatione, ac tempore. *3tiò* Malitia furis, an hæc furta fortuitò, an potius ex malitia fecerit. *4tò* Damnum illatum Proximo. *5tò* Prava furis voluntas, videlicet, si plenè advertit hæc furta minuta in magnum pretium excrevisse vel quia habuit voluntatem ex illis ditior fieri, aut plura furari. Ex Communi igitur DD. ut dicit Sporer tract 5. cap: 5. num 92. & La Croix lib: 3 p. 1. n. 987. determinatur talis quantitas furti ad mortale peccatum constituendum, quæ sufficeret ad sustentationē unius diei tali Personæ, cui ablata est

8. Q *Quid sentiendum de furtis minutis Sartorum, Textorum & aliorum Opificum ?*

R. Si reliquiæ fuerint parvi momenti, de qui-

quibus Domini parum curare solent, erunt venialia, si fuerint majoris pretii, & momenti, erunt mortalia. Ita Lugo, Diana, Sporer. & alii

9. Q. *Utrum in aliquo casu saltem licebit Famulo sibi compensare?*

R. Affirmativam Sententiam tenet Gotti. *1mò* Si invitus fuerit à Domino coáctus dolô, minis &c. ad serviendum pretiô minorî, infimô *2dô* Si Dominus minus pretium solvat, quam fuerit in pacto conventum. *3tiò* Si Dominus salarium solvat non in pecunia, sed in aliis rebus, quibûs non eget, & quas cogitur vendere viliori pretiô.

10 Q. *Quotupliciter potest fieri injusta damnificatio Proximi?*

R. Dupliciter. Immediatè, & per seipsũ, & mediatè, seu per alium, videlicet: mandando, consulendo &c. Quod novem modîs fieri potest, quos hi versus indicant.

Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus, Participans, Mutus, Non obstans, Non manifestans.

11. Q. *An Omnes his Novem modis coöperantes non solum ad furtum, sed etiam ad damnum Proximo inferendum in Bonis famæ peccant graviter? & tenentur ad Restitutionem?*

R. Affirmativè ad utrumq;. 1mò quia peccant graviter hôc modô cóóperantes ad rem illicitam. 2dò Quia tenentur ad restitutionem; & quidem hoc ordine: quod si ille, qui per se ipsum fecit damnum alteri, potest facere restitutionem, ille solus obligatur ad illam, in defectu autẽ illius tenebitur jubens, consulens, & cæteri omnes.

§. 6.

De Restitutione.

1. Q. *Quid est Restitutio ?*
R. Est actus Justitiæ Commutativæ, quo damnum alteri illatum compensatur ad æqualitatem.

2. Q. *Quo Jure est debita rei alienæ Restitutio ?*
R. Jure Naturali. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Et Jure Divino: Non furtum facies.

3. Q. *Quæ sunt causæ seu Radices Restitutionis ?*
R. Generaliter hæ duæ sunt: 1mò Res accepta. 2da Injusta acceptio

4. Q. *Qui tenentur ad restitutionem in solidũ, seu in integrum ?*
R. Non tantum physicè per se damnificantes

tes proximum, sed etiam moraliter concurrentes coöperantes aliquô modô ex his 9. superius enumeratis ad damnum proximo inferendum.

5. Q. *Quo ordine tenentur ad restitutionem coöperantes ad damnum Proximi ?*

R. Lesius lib 2. cap: 13. dicit: obligatur imprimis Jubens, Consulens, Consentiens, Laudans, Recipiens, Participans, & quidem ad restitutionem totius damni, Mutus quoq; non obstans, non manifestans, si ex Officio obligabatur impedire damnum proximi, tenetur in integrum ad restitutionem; si verò tantum ex charitate, non tenetur quidem ad restitutionem, peccat autem juxta gravitatem damni illati.

6. Q. *Quod si res ablata pereat apud furē, vel quempiam alium injustè damnificantē?*

R. Tenetur nihilominus ad restitutionem ut docet S. Thom: 2.2 quæst: 62. a 6.

7. Q. *Quæ regulæ servari debent in Restitutione ?*

R. *1ma* Ut restitutio fiat ipsi Domino, si fuerit possibile. *2da* Si autem Dominus est mortuus, tunc hæredi, vel propinquis ipsius. *3tia* Si verò & hæres sit mortuus, aut ignotus, vel longè distans, tunc ultimò erogandum est ad pias causas. Si verò damnificans verè est pauper, inca-

paxq;

paxq; restitutionis faciendæ, tunc illi Confessarius in vim satisfactionis preces injunget &c. Ita Pikulski part: 2. sect: 3. art: 8. num: 11. de Restitut. Mazotta & alii.

8. Q. *Quando facienda est Restitutio?*

R. Juxta Communem DD. Sententiam restitutio facienda est statim, quàmprimum commodè fieri potest.

9. Q. *Quomodo peccat, qui restitutionem differt?*

R. Si differt absq; sufficienti Causa ad aliud tempus, peccat solum venialiter, maximè si habet voluntatem restituendi, & per hanc dilationem proximo grave damnum non infertur.

10. Q. *Quomodo facienda est Restitutio?*

R. Si delictum sit publicum, tunc Restitutio publicè est facienda. Ita DD. Communiter.

11. Q. *Potestnè fieri per tertiam Personam Restitutio?*

R. Potest. Quia qui per alium facit, per se facere videtur.

12. Q. *Quæ Causæ excusant aliquem à Restitutione?*

R. Novem sequentes: *1ma* Impotentia seu Inopia Debitoris. *2da* Periculum infamiæ, vitæ, vel membrorum. *3tia* Condonatio Creditoris. *4ta* Si res restituenda

sit

ſit Creditori nocitura. *5ta* Præſcriptio. *6ta* Compenſatio. *7ma* Ceſſio Bonorum. *8va* Ignorantia probabilis vel invincibilis juris, aut facti. *9na* Dubium. Ignorantia autem probalis vel Invincibilis facti eſt illa, quâ quis probabiliter, vel ex errore invincibili exiſtimat rem eſſe ſuam, quæ re vere non eſt ſua. Ignorantia juris eſt, quâ ignoratur quid ſit juris, quando vg: Jus eſt obſcurum, & controverſum, de aliquo contractu.

13. Q. *Quæ Regulæ generaliter in reſtitutione obſervandæ ſunt Confeſſario?*

R. Hæ duæ, quas Layman aſſignat. *1mò* Nemo tenetur reſtituere, cum ſuo detrimento majore notabiliter, quam ſit Creditoris commodũ. *2dà* Regula eſt; Quotiescunq; Dominus ſive Creditor, rationabiliter contentus eſſe debet, ut reſtitutio differatur, poteſt differri, quamvis ille invitus ſit.

§. 7.

De Octavo Præcepto Decalogi.

1. Q. *Quod eſt Octavum Præceptum Decalogi?*

R. Juxta illid *Exod:* 20. Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.

2. Q. *Quid hôc Præcepto prohibetur?*

R. Non tantum falſum teſtimonium, quod mendacium includit, ſed etiam Detractio, Contumelia, Convitium, Improperium, Maledictum, Irriſio, Suſurratio, Libellus famoſus, & omnis injuſtitia, ac injuria, quæ proximo Verbîs inferri poteſt ut notat S. Thomas 2. 2. quæſt: 12. art. 6.

3. Q. *Quid eſt Detractio?*

R. Eſt famæ alienæ occulta & injuſta læſio ſeu denigratio.

4. Q. *Quotupliciter fieri poteſt Detractio?*

R. Dupliciter. Directè & Indirectè. Directè fit quatuor modîs hîs verſibûs expreſsîs:

Imponens, augens, manifeſtans, in mala vertens
Qui negat, aut minuit, reticet, laudatq; remiſsè.

1mò imponendo crimen falſum. *2dò* Amplificando ſeu exagerando crimen verum. *3tiò* Pandendo crimen occultum. *4tò* Siniſtrè interpretando. Indirectè etiam detractio tribûs modîs fieri poteſt. *1mò* Negando rectè facta vel dotes alterius. *2dò* Illa rectèfacta extenuando. *3tiò* Tacendo bona alterius, eô locô & tempore, quo intelligitur tacita vituperatio.

5. Q. *Quotuplex eſt adhuc Detractio?*

R.

R. Duplex. Materialis. & Formalis. Materialis eſt tunc, quando quis non intendit lædere famam proximi, ſed ex quadam loquacitate narrat peccata, vel defectus ipſius, unde læderetur bona fama Formalis eſt, quæ fit ex intentione & propoſito alienam famam denigrandi. Detractio Formalis ſemper eſt peccatum mortale. Materialis, verò ob defectum perfecti voluntarii eſt ſolùm veniale. Si verò fiat oblocutio alterius in re ei nocitura graviter juxtà conditionem læſi, erit mortale.

6. Q. *Quid eſt Contumelia ?*

R. Eſt injuſta læſio honoris proximo debiti per verba vel facta Differt autem Contumelia à Detractione per hoc, quia Detractio famam lædit, Contumelia verò honorem. 2dò, Quia Detractio fit occulte veluti furtum, Calumnia, vero palam & in faciem, ut rapina.

7. Q. *Quot modis Contumelia fieri ſolet ?*

R. Tribûs modîs. Verbô, Scriptô & Factô. Sub Contumelia, facta verbô, continetur Convitium, improperium, & maledictum, de quibus infra. Ad Contumeliam verò quæ factô fit, pertinet irriſio, & ſubſanatio, uti fit dum Vir honoratus verberatur, aut in carceribus includitur. Contumelia factô Scriptô vocatur in jure libellus famoſus.

8. Q.

8. Q. *Quale est peccatum Contumelia?*
R. Ex genere suo est peccatum mortale, ut docent communiter DD. & patet ex Verbis Christi. *Matth*: 4. Qui dixerit Fratri suo fatuè, reus erit gehennæ ignis.

9. Q. *Quid est Convitium?*
R. Est injuria, quâ exprobratur proximo defectus naturæ vel pænæ, vocando eum vg. Cæcum, Claudum, Gibbosum &c. Differt à Contumelia, quia per hanc exprobratur defectus culpæ.

10. Q. *Quid est Improperium?*
R. Est injuria, per quam exprobratur proximo defectus minorationis, seu indigentiæ vg: commemorando ei Beneficia, auxilia, quæ illi in necessitate contulit.

11. Q. *Quid est Maledictum?*
R. Est imprecatio mali, pænæ, facta alicui, ut si vg: unus alteri imprecetur Diabolum, fulgura &c. quod peccatum est communissimum in Polonia.

12. Q. *Quandonam hæc vitia tria sunt peccata mortalia?*
R. Protunc, quando fiunt deliberatè, & cum intentione nocendi graviter proximo.

13. Q. *Quid est Irrisio?*
R. Est contemptus alterius cum risu, quô intendit erubescentiam derisi.

14. Q. *Quid est Subsanatio?*

R.

R. Eſt contemptus alterius expreſſus verbis, cum geſtibus deriſoriis, & hæc ſæpius includit irriſionem.

15. *Quid eſt Suſurratio?*

R. Eſt peccatum lingvæ, dum quis occultè de proximo male loquendo, odium ac diſſenſionem animorum molitur.

16. Q. *Quid eſt Libellus famoſus?*

R. Eſt ſcriptura, quæ infamiam alterius continet, nondum publicatam, ut edatur, & publica fiat.

Nota *1mò* In his quicunq; peccaverint, tenentur ad reſtitutionem famæ & honoris proximo.

Nota *2dò* Cauſæ excuſantes à reſtitutione famæ, vel honoris ſunt Novem, & ſequuntur. *1ma* Si infamia non eſt ſecuta. *2da* Si verbū aliquod infamans jam abiit in oblivionem. *3tia* Si infamia aliunde recuperata fuit. *4ta* Si crimen occultum, alia ratione publicum evaſerit. *5ta* Si reſtitutio famæ facta ſit impoſſibilis. *6ta* Si reſtitutio nequit fieri abſq; periculo vitæ *7ma* Vel non ſine famæ amiſſione majoris momenti. *8va* Juſta condonatio. *9na* Juſta compenſatio.

Nota *3tiò* De jure itaq; & juſtitia dictum eſt eſt Tractatu 7. De Contractibus etiam Tractatu 8. ſatis fusè tractavimus.

§. 8.

§ 8.

De Nono Præcepto Decalogi.

1. Q. *Quod est Nonum Præceptum Decalogi?*
R. Non concupiſces Uxorem proximi tui. *Exod. 20.*

2. Q. *Quid hoc præcepto prohibetur?*
R. Delectatio moroſa, & deſiderium illicitum in materia venerea.

3. Q. *Quid est delectatio venerea?*
R. Eſt ſimplex amor, & complacentia in re venerea, abſq; tamen deſiderio executionis.

4. Q. *Quotuplex est delectatio venerea?*
R. Duplex. Una Subitanea, quæ conſiſtit in ſimplici complacentia rei venereæ abſq; ulla reflexione ad malitiam talis complacentiæ. Altera moroſa, quæ eſt complacentia deliberata de actu turpi. Et hæc dicitur moroſa, non à mora temporis, quia poteſt in momento perfici, ſed quia deliberatè in illa delectans moratur. Utraq; alia eſt cum pleno conſenſu, & hæc includit deſiderium actus illiciti, alia ſine conſenſu tali.

5. Q. *Quandonam Concupiſcentia est peccatum mortale, & quando veniale?*
R. Tunc eſt mortale, quando conſenſus voluntatis erit perfectus, & deliberatus, & ma-

& materia erit gravis, circa quam versatur.

6. Q. *An peccat contra hoc præceptum ille, qui cupit deliberatè amari libidinosè ab aliis?*

R. Peccat, & quidem mortaliter. Ita Navarrus cap: 19. Manuali num: 1. Ratio est; quia talis consentit peccato mortali proprio, vel alieno. Multo magis peccant Mulieres, quæ ornant se ultra statum suum aut facies coloribus depingunt, ut amentur à viris alienis. Ratio est: quia tales sunt tentationes ad malum & in ruinam multorum. Peccant pariter tam Viri quàm Mulieres complacenter do sibi in venustate proprii Corporis, faciei &c. non referendo illam ad DEUM, sed sibi eam appropriando.

7. Q. *Quo differt delectatio morosa à desiderio illicito?*

R. Hôc, quia delèctatio fertur in Objectum aliquomodo præsens sine intentione progrediendi ad ipsam operis executionem. Desiderium verò illicitum fertur in Objectum ut præsens, cum intentione progrediendi ad ipsam operis executionem.

8. Q. *Quid est Desiderium illicitum?*

R. Est ille actus, quô Voluntas vult ac desiderat actum peccaminosum externum ipso opere perpetrare si adesset facultas.

9. Q. *An peccent mortaliter? si Vidua de*

præ-

præterita copula, & Sponsi de futura cogitantes, deliberatè, habeant exindè complacentiam?

R. Affirmativè. Ratio est: quia cui non est licita Copula, eidem neq; licita est complacentia cum deliberata recogitatione; tam autem Sponsis, quàm Viduis, non est licita Copula, quamdiu sunt in hoc statu. Ita Sporer Tract: in Decalog: cap: 6. sect: 3. num: 20.

10. Q. *An tenetur pœnitens exprimere tempus, quamdiu duravit delectatio deliberata?*

R. Non requiritur quidem omnino; melius tamen est exprimere ad informandum Confessarium de statu suæ Conscientiæ.

Nota *1mò* Siquidē sæpius ignorant pænitentes, utrum habuerint Desiderium illicitum venereum? Proinde interrogandi sunt à Confessariis, an habuerint ita expositam voluntatem, ut si hoc commode posset deduci ad actum, facerent libenter? Sicuti solent habere Mulieres, timendo solum propalationem actus venerei per futuram generationem.

Nota *2dò* Ulterius inquirant Confessarii, an habuerint delectationem cum consensu vel sine consensu? An fuerit desiderium opere implendi id, quod per delectationem obiiciebatur voluntati? his enim

gradi-

gradibus solet fieri peccatum carnale usq; ad opus completum.

§. 9.

De Decimo Præcepto Decalogi.

1. Q. *Quod est Decimū Præceptum Decalogi?*
R. Non Domum, non Agrum, non Servū, non Ancillam, non Asinum, & universa, quæ illius sunt.

2. Q. *Quale est hoc præceptum Decalogi?*
R. Negativum. Ratio est: quia nunquam est licitum res alienas concupiscere.

3. Q. *Quid hôc præceptô Divinô prohibetur?*
R. Nimia aviditas divitiarum, & concupiscentia rerum alienarum pravis & illicitis artibus desiderabilis.

4. Q. *Quinam peccant contra Decimum Præceptum Decalogi?*
R. Peccant *1mò* Illi, qui nimia aviditate divitias expetunt, & modis illicitis opes augere concupiscunt. *2dò* Illi, qui ludis immoderatè abutuntur. *3tiò* Illi Mercatores, qui ut merces suas vg: frumentum carius vendant, rerum penuriam, & Micrescentiæ sterilitatē appetunt. *4tò* Milites, qui Bellum desiderant, ut habeant facultatem furandi. *5tò* Principaliter omnes illi peccant contra hoc præceptum, qui rem alienam pretiô æstimabilem concupiscunt.

TRACTATUS X.
De Præceptis Ecclesiæ.

§. 1.

1. Q. *Quot sunt Præcepta Ecclesiæ? & Quæ?*
R. Sunt Quinquè. *1mum* Statutos Dies Festos ab Ecclesia celebrare. *2dum* Missam Diebus Dominicis & Festivis reverenter audire. *3tium* Indicta ab Ecclesia Jejunia certis diebus servare. *4tum* Peccata Sacerdoti Proprio, aut alteri approbato singulis annis confiteri. *5tum* Sacratissimam Eucharistiam ad minus semel in Anno, idq; circa Festum Paschæ sumere.

2. Q. *Quale est Primum Præceptum Ecclesiæ?*
R. Partim est Affirmativum partim Negativum. Quatenus est affirmativum præcipit devotam Missæ auditionem diebûs Festivîs. Quatenus verò est Negativum præcipit abstinentiam ab operibus servilibus iisdem diebûs Festivis, nec non ab operibus seu negotiis Forensibus.

3. Q. *Quo tempore Dies Festivus incipit?*
R. Ex usu S. Romanæ Ecclesiæ, qui per totam planè Europam invaluit, inchoantur Festa à media nocte diei vg: Sabbathi, & terminantur mediâ nocte sequenti.

4. Q. *Quid verò nobis prohibet hoc Primum Præceptum Ecclesiæ?*

R.

R. Omne opus ſervile, juxta illud Levit: cap: 23. Omne opus ſervile non facies in ea.

5. Q. *Quotuplicia ſunt opera noſtra humana?*

R. Duplicia. Alia Corporalia, quæ per exercitationem corporis peraguntur, & alia Spiritualia, quæ præcipuè ab anima procedunt, & ad animum excolendum diriguntur ut vg: legere, ſcribere, ſtudere, docere &c.

6. Q. *Quotuplicia ſunt opera Corporalia ?*

R. Duplicia. Alia ſervilia, & alia non ſervilia, ſeu liberalia.

7. Q *Quæ ſunt opera Servilia ?*

R. Sunt opera Corporalia, ad quæ ſervi deputantur, & ideo dicta ſunt ſervilia. Seu potius opera ſervilia ſunt illa, quæ immediatè in utilitatem corporis fiunt, vel corporis potius quàm animi viribus efficiuntur, vulgaribusq; communiter hominibus committi ſolent, ut vg: arare fodere, ſerere, ligna & lapides cædere, & alia opera mæchanica exercere.

8. Q. *Quæ ſunt opera liberalia Diebus Feſtivis non prohibita?*

R. Illa omnia, quæ ad artes liberales ſpectant, & à liberis exercentur, fiuntq; plurimum ad illuminandam & inſtruendã mentẽ, oblectandumq; animum; ut vg: diſcere, docere, concionari, cantare, or-

Q gana

gana musica pulsare, etiam 'pro mercede.

9. Q. *Quæ causæ excusant homines diebus Festivis opera servilia exercentes ?*

R.. Quatuor. *1ma* Necessitas. *2da* Pietas. *3tia* Consvetudo legitima. *4tò* Dispensatio.

1mò Per Necessitatem intelligitur tam publica, quàm privata necessitas, quæ tunc censetur adesse, quando imminet notabile damnum in Bonis vel animi, vel corporis vel fortunæ mihi vel proximo. Ob hanc rationem excusantur reficientes fontes, pontes, aggeres fluminum, parantes aliqua ad Cõmunem populi Festivitatem, coquentes calcem, lateres, vitrum, Pharmacopolæ, & horum famuli &c.

2dò per Pietatem intelligitur amor erga DEUM & charitas erga proximum. Vi prioris licent opera, quæ proximè spectant ad cultum DEI, ut vg: campanas pulsare, Organa, circumferre imagines &c. Vi autem charitatis erga proximum licitum est fodere se, ulcbrum pro mortuo, parare vestes lugubres, appendere insignia, obsequi infirmis &c.

3tia Causa excusans exercentes opera prohibita diebûs festivîs est legitima consvetudo, sivè illa sit generalis pro Regno, sivè specialis in aliqua Provincia, quæ scitur & toleratur, à Prælatis Eccesiasti-

cis

cis, nam hæc derogat juri positivo humano cap: ult: de Consvet. Sic in pluribus locis, excusantur *imò* coquentes cibos etiam superfluos & ad delectationem. mactantes pullos, galinas, columbas. non verò oves, boves, aut vaccas. Cajet: Svarez quos citat Mazotta Tom: 1. Tract: 2. cap: 2. Billuart. *adò* excusantur Medici, Hyrurgi, Pharmacopolæ, qui hic, & nunc necessaria ægrotis præparant. Billuart. Tract: de Religione Dissertatione 6. art: 4. Fagund: excusat delineandi imagines, & lineas ducendi ad eas postea pingendas. Navarrus venditores calceorum. Famuli & famulæ, qui coguntur ab Heris laborare, si tamen recusare, aut servitium deserere absq; gravi detrimento non possunt, & modo coactò non fiat in contemptū Religionis. Ita Billuart loco supra citato. Verum in his omnibus attendenda est Pii V. Summi Pontificis Constitutio, quæ incipit: Cum primum &c. &c. Omnes diebūs præfatis Eccclesias frequentent, Divinis Officiis devotè attendant, ab omni illicito & servili opere abstineant, mercatus non fiant, profanæ negotiationes, & judiciorum strepitus conquiescant. Hujus Pontificis Constitutioni consonat S. Ritu. Congreg: Declararatio, quam refe t

Barbosa Tom: 1. Collect: Doct: in lib: 2. Decret: de Feriis Titulo 9. cap: omnes dies. num: 5 his verbis: Præceptum de Dominicis & Festivis diebus. Cæterum hîs diebûs licere agonibus, ac aliis jumentorum vectoribus, seu mercium conductoribus, bajulis, & aliis hujusmodi ser, vientibus, ac ministris sarcinas & onera nundinarum causâ exonerare & deponere, inceptumq; iter, Missâ tamen prius auditâ transeundo prosequi & continuare. Non autem debere sarcinas componere, & jumenta onerare ad iter de novo incipiendum. Neq; mercatoribus, aut aliis Civibus, & viatoribus hîs diebûs etiam clausîs apothecîs merces vendere, aut asportare licere, nisi tantum ad victum necessaria, aut alia minuscula, & modici momenti jam conflata, & elaborata pro transeuntium hospitum, advenarum, & exterorum urgenti & præsentanea necessitate & opportunitate, in quo preces erunt Episcopi propositis edictis providere, ut imprimis hi festi dies debita observatione colantur, simulq; confluentiū populorum necessitatibus, quantum sine Divina offensione fieri potest, consulatur. Quo ad judicia autem, quæ Dominicis & festis silere debent; id observari peterit, quod jure communi permittitur in quibus-

dam

dam urgentibus casibus, qui morem & dilationem non patiuntur. Hæc allegatum Breve felicis record. Pii V. servanda esse statuit sicut Declaratio S. Ritu: Congreg: enarrat. Cum verò decursu temporum varia irrepserunt quo ad observantiam Festorum ratione mercatus & Nundinarum diebus festis celebratarum, hinc ad tollendos hosce abusus Benedictus XIV. Pontifex Maximus duas edidit Constitutiones 105. & 144. Tomô I. sui Bullarii quibus præcepit, ut tēpore Nundinarum Matutinis & Vespertinis horis, quibus Divina Officia in Ecclesiis celebrantur, vel Verbum DEI populo annuntiatur Apothecæ claudantur, contractus seu commercia non exerceantur publice. Sed accurrentes ad Nundinas Missæ Sacrificio & Divinis Officiis intersint, aliisq; operibus christianis Festum sanctificent, & ne mercatoribus lucrum decedat, Nundinarum dies protrahit. Mercatum verò qui singulis celebratur hebdomadis si occurrat die festo mandat Episcopis, ne id patiantur in suis Diœcesibus, sed vel ante vel post festum vel in crastinum transferatur. Ita Flavianus Ricci à Cimbria in Theologia instaurata R. P. Reiffenstul Tract. X Distinct: 1. quæst: 3. num. 35.

Anno

Anno verò 1775. d. 23. Maij ad supplices preces Serenissimi Regis Poloniarum Stanislai Augusti Poniatowski &c. ac Regni ejusdem Episcoporum Pius VI. Pontifex Maximus dispensavit Populum ab auditione Missæ; operaq; servilia exercere permisit Diebus festivis, Dominicis omnibus & nonnullis exceptis in suo Brevi expressis cum hac conditione, ut remanentes Dies festivi majori cum devotione celebrentur, tollendo iisdem Festis abusum Nundinarum & mercatûs vulgo Targi. Quod ut exactiùs observetur oneravit conscientias non tantum Episcoporum hujus inclyti Regni, sed etiam Principum Sæcularium.

4ta Causa excusans est Dispensatio, quam potest dare Papa pro tota Ecclesia, Episcopus pro sua Diæcesi, Parochus pro Parochianis &c. si adsit justa causa. Sic dispensavit Benedictus XIV. in Regno Poloniæ cum Diæcesi Vilnensi Anno 1743. D. 17. Maij & cum Posnaniensi 1745. D. 1. 7bris ut patet in Bullario Ejusdem Benedicti XIV. Tom. 1. pag: 246.

10. Q. *An Diebus festivis licite exerceri possunt Mercatus, Nundinæ, Strepitus Judicialis?*

R. Non possunt Ita S. Pius V. Constit: Cum primum &c. Kalend: Aprilis 1566.

11. Q. *Quid sentiendum de sectione lignorum ad*

Culi-

Culinam Die Festo? Molitura, quando molendinum agitatur aquâ vel ventô?

R. Si facere id Domini præcipiunt Subditis suis nulla necessitate cogente, peccant Domini mortaliter. Si verò necessitas postulat, & est consvetudo introducta, à mortali excusat, non verò à veniali; si id fiat die Dominico. Ita Pikulski Part. 2. sect. 4. art. 1. de Præceptis Decalogi num. 22.

§. 2.

De 2dò Præcepto Ecclesiæ.

1. Q. *Quod est 2dum Præceptum Ecclesiæ?*

R. Missam Diebus Dominicis & Festis reverenter audire.

2. Q. *Quid nobis præcipitur hôc 2do Præcepto?*

R. Duo. 1mùm videlicet: audire Missam, & hoc obligat sub mortali. 2dum interesse Concioni, & hoc est Consilii ut patet ex verbis Concilii Trident: Sess: 24. cap: 4. de Reform.

3. Q. *Qui obligantur diebus Dominicis & Festivis audire Sacrum?*

R. Omnes fideles adulti, non tantum Laici, sed etiam Clerici & Sacerdotes, si illo die non celebrent Missam. Probatur

ex

ex Can: 62. Omnes fideles.

4. Q. *An etiam pueri ad audiendam Missam die Festo obligantur?*

R. Ante completum septennium non tenentur. Ratio est, quia ad audiendum Sacrum requiritur devota & reverentialis præsentia, quæ in pueris ante Septennium non datur. Ita La Croix, Sanchez Diana & alii.

5. Q. *Qualis præsentia requiritur in audiente Sacrum diebus Festivis?*

R. *1mò* Debet esse non tantum moralis, sed etiam physica, ut scilicet sis in Ecclesia, offeras cum Sacerdote Sacrificium, sed satis est, si adsis cum aliis etiã extra templum, & conformes te illis in flectendo, stando, surgendo &c. *2dò* Debet esse præsentia humana seu voluntaria; hinc vg: ebrius, vel dormiens non satisfacit præcepto, quia non adest modò humano. *3tiò* Debet esse Religiosa seu devota, videlicet cum intentione, & attentione debita, eô ferè modô, quô diximus recitari debere Horas Canonicas. Ita Gobat Tract: 5. n. 250. P. Stoz lib: 1. p. 3 n 252

6. Q. *Quæ causæ excusant Fideles ab obligatione audiendi Missam die Festo?*

R. Sunt quidem plures, omnes autem generaliter reducuntur ad impotentiam phy-

Physicam & Moralem. Itaq; ob impotentiam physicam excusantur: 1mò In Carceribus detenti, in exilio, in mari, aut, in terris constituti infidelium. 2dò Gravi morbo oppressi. 3tio Itinerantes, qui non inveniunt locum, ubi Missam audiant. Ob impotentiam moralem excusantur: 1mò Ob periculum boni Animæ, ne videlicet in periculum incidat peccati. 2dò Ob periculum corporis, timendo recidivam post morbum, vel siccarios. 3tiò Ob magnam distantiam loci. 4tò Ob periculum famæ & honoris. 5tò Ob periculum bonorum fortunæ. 6tò Ex titulo Pietatis vg: servientes Infirmis. 7mò Ex titulo Officii vg: Excubitores ad Portas, Custodes Horti.

7. Q. *An distantia loci excuset ab audienda Missa?*

R. Affirmativè: Ratio est: quia distantia loci impotentiam Moralem sæpiùs involvit. Qualis autem distantia loci excuset, non potest absolutè determinari, sed judicio prudentum relinquenda est attentis circumstantiis: loci nimirum distantis, temporis, auræ frigidæ, inundationis, personæ debilis &c. Alii distantiam itineris unius horæ asserunt sufficere, alii quinq; quandrantum. apud Gobat. Tract: 5 Theol: experim: n. 486. Alii demum spe-

ſpectandam ajunt conſvetudinem loci.

8. Q. *Ad quid tenentur illi, qui die feſto no. poſſunt adeſſe Sacrificio Miſſæ?*

R. Tales ſaltem domi orare tenentur, hoc enim actus Religionis erga DEUM exigit ab illis. Et D. Auguſtinus Serm: 251. de tempore recommendans talibus ait: Ut ſaltem in domo ſua oret, & non negligat DEO ſolvere Votum, ac reddere penſum ſervitutis.

§. 3.

De Tertio Præcepto Eccleſiæ.

1. Q. *Quod eſt 3tium Præceptum Eccleſiæ?*

R. Indicta Jejunia ab Eccleſia certis diebus ſervare.

2. Q. *Quid eſt Jejunium propriè ſumptum?*

R. Eſt abſtinentia à Cibo & Potu.

3. Q. *Quotuplex eſt Jejunium?*

R. Duplex, Naturale & Eccleſiaſticum. Jejunium Naturale eſt abſtinentia, à qualibet re ſumenda per modum Cibi, aut potûs, vel medicinæ poſt mediam noctem, & tale jejunium requiritur ad ſumptionem SS. Euchariſtiæ Sacramenti, & celebrationem Miſſæ. Eccleſiaſticum verò eſt: Abſtinentia voluntaria à cibo juxta præſcriptum Eccleſiæ.

4. Q.

4. Q. *Quæ ſe res habent per modum potûs ? & quæ per modum cibi ?*

R. Illa univerſaliter ſpectant ad potum, quæ non ſunt ordinata ad nutriendas ſolidas partes corporis, quamvis per accidens illas nutriant, ſed ad extingvendã ſitim. Illa autem ſunt per modum Cibi, quæ ſunt ordinata ad tollendam famem, quamvis & hæc per accidens ſitim extingvant vg: Juſculum.

5. Q: *Quid dicendum de Caffe, ſi admiſceatur modicum lactis ?*

R. Si ſumatur in modica quantitate de mane ſolùm, non frangit Jejunium. Ratio eſt: quia parvitas materiæ, & ſumptio Caffe cum modico lactis eſt per modum medicinæ. Præterea conſvetudo introducta eſt in Regno Poloniæ ſic Caffe bibendi cum modica quantitate lactis ſemel de die tantum; ubi adhibentes quoquè modicum alicujus comeſtibilis vulgo Sucharek, ne hauſtus ille noceat, non peccant juxta Communiorem ſententiam DD. Cavendũ tamen eſt, ne repetitis ſæpius fruſtulis ad magnam quantitatem deveniatur.

6. R. *Quæ ſunt carnes univerſaliter jejunales, ſeu quibus ſine diſpenſatione veſci poſſumus in Jejunio ? & quæ frangunt jejunium in qualitate ?*

R. Illæ carnes frangunt Jejunium, nec illis

licitè

licitè diebus jejunii vesci possumus, quæ habent calidum sanguinem, ut Caro bovina, vitulina, vervecina &c. quæ verò frigidum habent sangvinē, illis licitè vesci possumus, ùt lutra, huso.

7. Q. *Quæ conditiones rèquiruntur ad Jejunium Ecclesiasticum?*

R. Juxta communem DD. Sententiam Tres. *1ma* Abstinentia à carnibus, caseo, lacte, ovis, quæ sementinam originem à carnibus trahunt. *2da* Abstinentia plurium de die refectionum. *3tia* Certa hora refectionis.

8. Q. *Quo jure obligat jejunium Ecclesiasticum?*

R. Solo jure humano, seu ex præcepto Ecclesiæ ut docent communiter DD. Jejunium Quadragesimale ad exemplum Christi instituerunt Apostoli, ut patet ex Can: 68. Apostolorum Jejunium quatuor Temporum instituit Calixtus Papa. Litanias verò & Jejunium in festo S. Marci Gregorius Magnus instituit, Litaniarum quoq; minorum & jejunii cum publicis supplicationibus S. Mamertus sæculo 5to Author fuit, juxta Tourneli Tract: de præcep: Eccles: cap: 3. pro bono successu fructuum terræ.

9. Q. *Qualis est obligatio Jejunii?*

R. Personalis. Ratio est: quia finis hujus præcepti est moderate affligere corpus proprium.

10.

10. Q. *Qui obligantur præcepto Jejunii Ecclesiastici?*

R. Omnes Catholici completô annô 21mô usq; ad annum 60. si sint debilioris valetudinis, non autem eos qui sunt robusti. Ita S. Antonius 2. Parte tit. 6. cap: 2. §. 6. Senes, si sunt multum debiles, eo modo possunt excusari, sicut dictum est de infirmis Ratione autem senectutis tantùm non excusantur, si sunt fortes ad ferendum jejunium; nec est determinata ætas ab aliquo, usq; ad quos annos quis tenetur ad jejunium. In Regno autem Poloniæ, utpotè Septemtrionali, probabiliùs omnes Sexagenarii excusantur a quantitate jejunii, ratione deliberatæ vis concoctivæ sumptorum ciborum. Ita Pikulski part: 2. sect. 4. art: 2. num, 33.

11. Q. *Quæ sunt causæ excusantes à Jejunio Ecclesiastico?*

R. Tres. Impotentia, Pietas, & Necessitas.

12. Q. *Qui excusantur ratione Impotentiæ? tam physicæ, quàm moralis?*

R. Illi omnes, qui sine gravi incommodo, vel rationabili damno jejunare non possunt, & sunt sequentes: 1mô Infirmi, & Convalescentes 2dô Carentes somno, & vertiginem capitis patientes. 3tiô Mulieres gravidæ & lactantes. 4tò Adolescen-

ſcentes. *5tò* Pauperes & Senes maximè ſexagenarii debilioris valetudinis.

13. Q. *Quinam excuſantur à jejunio ratione Pietatis ?*

R. Univerſaliter illi, qui operibus miſericordiæ tam animæ, quàm corporis incumbunt, quæ ſimul cum jejunio perficere non poſſunt, vg: Concionatores, Profeſſores, Confeſſarii, Cantores, Advocati, Judices &c.

14. Q. *Quinam excuſantur à jejunio ratione Neceſſitatis ?*

R. Univerſaliter omnes illi, qui gravi labore ſuo victitant cum quo Jejunium ſtare non poteſt. Tales ſunt omnes mæchanici, qui cum gravi defatigatione ſuas artes exercent, ut ſunt Agricolæ, Ferrifabri, Bajuli. Foſſores, Lignarii. Itinerantes longum iter præſertim pedites. Excipiuntur Pictores, Sculptores, Sartores, Sutores, Barbitonſores, quorum labor, cumq; ſit exiguus, nec multùm corpus defatigare dicitur, non excuſantur à jejunio.

15. Q. *Ad quid tenentur licentiati in jejunio veſci carnibus ?*

R. Ex reſcripto Benedicti XIV. ad dubia ArchiEpiſcopi Compoſtellæ ſuper Conſtit: quæ incipit: in Suprema. obligantur ad duas conditiones. *1ma* eſt: ut unicam comeſtionem de die obſervent. *2da* eſt: ut

ut non permiſceant epulas, vel piſces cum carnibus.

16. Q. *Diſpenſati in jejunio ad manducandum cum lacticiniis, qualibus cibis illis veſci licitum eſt ad Collatiunculam?*

R. Cibis eſurialibus, quibus utuntur jejunantes rectæ & meticuloſæ conſcientiæ. Ita patet ex Epiſtola Benedicti XIV. *Libentiſſimè.* edita Anno 1745. Die 10. Junii.

Item P. Struggl in ſua Thlia Morali Tract: 8. quæſt: 2. num: 26. de Jejunio citans Conſtitutionem Benedicti XIV. ad hanc quæſtionem quales Cibi ſumi poſſunt in Collatione? ℟. *imò* Perſe, & in Regionibus calidioribus, in quibus aura non ſt conſumptiva, vinū nutritivū, & fructus ſelectiores in Collatione veſpertina ſolùm poſſiunt ſumi modicum panis. herbæ ficus, uvæ paſſæ &c, non verò cibi ſolidiores, etiam eſuriales, ut ſunt piſces cocti, ova, lacticinia, placenta, & alia multùm nutrientia. Ita cum Navarro.

Idem Struggl ℟. *2dò* per accidens & in noſtris Regionibus frigidioribus, licitum eſt in Collatione ſumere modicum de cibis eſurialibus, etiam ſolidioribus, quibùs in prandio utimur. Unde licet comedere juſcula cocta ex vino, cereviſia, pane, herbis & butyrô condita. *Item* Piſces, lega-

legumina, ova, placenta, & alia sive calida, sivè frigida. Ita cum Azorio Drexellio, Bassæo, Cajetano, Bonacinna, Petro Marchotio, Sporer, Babenstuber, & alii Thlgi Germani.

Ratio Responsionis est quia in Germania propter auram magis consumptivam, & defectum vini nutritivi, & fructuum Selectiorum consvetudo invaluit sumendi in Collatione vespertina etiam apud pios similes cibos, ergò à fortiori in Regno Poloniæ licitum est vesci cibis in Collatione Vespertina, quibus vescuntur Germani, cum Polonia magis inclinet ad Septemtrionem, ubi & aura magis est consumptiva, defectus vini nutritivi, inopia fructuum Selectiorum, egestas olei olivarū.

17. Q. *Quænam quantitas cibi sumenda sit in Refectiuncula ?*

R. Non conveniunt in hac re DD. diversi diversam assignant quantitatem. alii uncias 4. alii 6. alii 8. Verum in passu consideranda est varietas Personarum, situs, Constitutio, & vis stomachi digestiva. specialiter in Regno Poloniæ, & aliis Provinciis Septemtrionalibus, ubi ob frigidiorem auram licitè potest sumere tertia pars prandii ciborum esurialium.

§. 4.

§. 4.

De Quarto Præcepto Ecclesiæ.

1. Q. *Quod est 4tum Præceptum Ecclesiæ?*
R. Peccata tua Sacerdoti proprio singulis annis confiteri.

2. Q. *Quotuplex est Confessionis præceptum?*
R. Divinū & Ecclesiasticum patet utrumq; ex Trident: Sess: 14. can: 6. 7. & 8.

3. Q. *Quos obligat hoc præceptum Confessionis?*
R. Omnes Christi fideles usus rationis capaces.

4. Q. *An? & quando tenemur præcepto Divino confiteri.?*
R. Tenemur & quidem 1mò In articulo mortis, aut periculo probabili mortis. 2dò Si quis sit in mortali peccato, & velit communicare vel celebrare.

5. Q. *Quando obligat præceptum Ecclesiæ ad Confessionem persolvendam?*
R. Per se obligat quo ad decursum totius anni; per accidens verò ratione Communionis Paschalis solet præmitti tempore Paschali juxta Trident: cap 5. in fine. Quod tempus Confessiionis assignant aliqui DD. à Dominica Palmarum, usq; ad Dominicam in Albis juxta Decretum S. Congreg: C. die 8. Junii 1644. & juxta con-

firmatione m Innocentii X. die 7. Februar: 1645. al qui demum DD totum tempus Paschale ut asserit Rotarius Part 3. Sect: 1. num. 2. determinant Verum in hoc puncto spectanda est consvetudo locorũ.

6. Q *An qui Paschali tempore justa vel injusta de causa Sacramentalem Confessionem omisit. teneatur postea, cum primùm potuerit confiteri?*

R. Affirmativè. Ratio est: quia præceptum Confessionis obligat per se ad decursum totius anni, per accidens verò solet præmitti tempore Paschali ratione Cõmunionis sumendæ hoc tempore. Et præterea hoc præceptum non transit cum tempore, sed extendit se ad totum annum, quem alii judicant inchoari à die 1. Januarii & terminari ultima Decembris, alii à Paschate ad aliud Pascha. Et hæc sententia DD. est probabilior & communior.

7. Q. *Quorum peccatorum tempore Paschali præcipitur Confessio?*

R. Mortaliũ Ita patet ex Trident: Sess: 14. c. 5. Siquidem expiandi venialia peccata multa instituit remedia Receptissima tamen consvetudo & praxis est, ut ante Communionẽ Paschalem præmittant fideles Confessionẽ sivè venialiũ sive mortaliũ si mortalia non habuerint tũ propter evitandum scandalum, tum ut gratiam Sacramenti consequantur.

8.

8. Q. *Cui facienda est Confessio Paschalis seu annua?*

R. Parocho proprio, ut patet ex Concilio Lateran: *Omnis utriusq; &c.* Vel coram Sacerdote Regulari idq; ex Mendicantibus ut patet ex Bulla Clementis X. *Superna.* Leonis X. Pii V. Pauli V. Clementis VIII. dummodo sit approbatus à Loci Ordinario, de qua Confessione debet certiorem reddere Parochum. Communio autem & Viaticum à proprio Parocho debet dari Parochianis, nisi is alteri dederit licentiam.

§. 5.

De Quinto Præcepto Ecclesiæ

1. Q. *Quod est quintum præceptum Ecclesiæ?*

R. Sacrosanctam Euchariſtiam ad minimum semel in anno, idq; circa Festum Paschæ sumito. quod habetur in Concil: Later: sub Innocentio III. celebrato. cap. *Omnis utriusq; sexus.*

2. Q. *Quo jure tenentur fideles sumere Eucharistiam?*

R. Tam Ecclesiastico, quàm Divino, ut patet ex Verbis Christi *Joan:* 6. Nisi manducaveritis Carnem Filii Hominis - -- non habebitis vitam in vobis.

3. Q. *Qui hoc præcepto Communionis Paschalis obligantur?*

R. Non tantum omnes Fideles adulti utriusq; sexûs, sed etiam pueri usum rationis habentes & doli capaces.

4. Q. *Quale jejunium requiritur ad sumendam Eucharistiam?*

R. Extra mortis articulum requiritur à media nocte, quod vocatur naturale ex instituto Ecclesiæ. Ad sumendum verò Viaticum non requiritur tale jejunium, quia debet dari & non jejunis, ut docent Communiter DD. & praxis S. Romanæ Ecclesiæ

5. Q. *An satisfaciunt præcepto Cōmunionis Paschalis, qui apud Regulares communicant?*

R. Affirmabant multi antea, ut asserit Henno Tom: 2. Dis: 9 quæst: 2. modo autem contrarium sonat Bulla Clementis X. *Superna.*

6. Q. *Quas pœnas incurrunt non confitentes, neq; communicantes tempore Paschali?*

R. Viventes arcentur ab Ecclesia, mortui vero privantur Ecclesiastica sepultura.

7. Q. *Peregrini. Vagi &c ubi Confessionem & Communionem Paschalem persolvere debent?*

R. In loco, in quo infra præfatum tempus, possunt præcepto satisfacere,

Nota *imò* Surdi, & muti tenentur Commu-

nio-

nionem Paſchalem percipere; non autem perpetuò amentes. quibus, niſi intervalla habeant ſicut Communio, ita nec Viaticum concedi poteſt. Ita Felix Poteſtas Tom: 1. Part. 3. de 3tio præcepto Eccleſiæ, n. 2924.

Nota 2dò Communio verò quotidiana nullo Jure Divino aut Eccleſiaſtico præcepto exiſtit. juxta D. Bonavent. inſuper Decretum Innocentii XI. Die 12. Februarii 1679.

TRACTATUS XI.

De Immunitate Eccleſiaſtica & Indulgentiis.

§. 1.

1. Q. *Quid eſt Immunitas Ecleſiaſtica ?*
R. Eſt exēptio ſive jus, quô Eccleſiæ, Res, & Perſonæ Eccleſiaſticæ à publicis muneribus, & oneribus ſæcularibus ſunt liberæ.

2. Q. *Quotuplex eſt Immunitas ?*
R. Triplex Localis, Realis, & Perſonalis.

3. Q. *Quid eſt Immunitas Localis ?*
R. Eſt privilegium conceſſum Eccleſiæ, ut nemo exinde violenter extrahatur. Ita Gregorius XIV. in Conſtit: quæ incipit. *Cum aliàs non nulli.*

4 Q.

4. Q. *Quid est Immunitas Realis?*

R. Est exemptio, sive jus, quo res ad Ecclesias vel Personas Ecclesiasticas spectantes, à potestate sæculari eximuntur, vg: Agri, prædia, Villæ &c.

5. Q. *Quid est Immunitas Personalis?*

R. Est exemptio Personæ Sacræ à potesta- & jurisdictione sæculari, quâ acquiritur privilegium Fori & Canonis.

6. Q. *Quotuplicia sunt Bona? seu Res Ecclesiæ immunitate gaudentes?*

R. Triplicia. *1mi* generis sunt Bona Consecrata, benedicta, aut ad cultum Divinum tanquam ejus instrumenta legitimè deputata vg: Ecclesiæ, Cæmeteria, Vasa Sacra, & hæc Bona sunt immunia ab omnibus sæcularibus oneribus, & tributis. ex Cap: *Non minus.* 4. de Immunitate Ecclesiastica. *2di* generis Bona sunt, quæ licet non sint consecrata aut benedicta &c. ad Ecclesiam tamen spectant vg: prædia, prata, agri, cæteraq; mobilia & immobilia, quæ ab omni reali onere laicali sunt immunia ex Cap: *Sancitum.* 1. de Censibus *3tii* generis bona sunt, quæ spectant ad ipsas particulares Personas Ecclesiasticas sive sint Bona ex titulo spirituali acquisita, ut vg: reditus Beneficiorum, sivè sint ex titulo temporali possessa vg: ex Patrimonio, te-

sta-

ſtamento: ſucceſſione, donatione &c. quæ bona Patrimonialia vocantur & hæc bona ſunt immunia ab omnibus ſæcularibus exactionibus, & oneribus. Ita Trident: Seſſ: 25 de Reform: cap: 20. & noviſſimè ex Bulla Urbani VIII. quæ incipit: Romanus Pontifex. 5. Julii 1641.

7. Q. *Quo jure Immunitas his rebus debetur?*

R. Jure Civili, Canonico, ac etiam Divino, ut communiter tenent DD. Nam etiam in antiqua lege inſtituta legitur. ut patet ex verbis *Gen:* 47. *Eſdræ* 7. & *Matth:* 17. ac in aliis pluribus locis.

8. Q. *In quo conſiſtit Immunitas?*

R. In his duobus. 1mò ut actus Sæculares & profani ab Eccleſia arceantur. 2dò Ut malefactores confugientes ad Eccleſiam ibidem in vita & membris protegantur, & per violentiam inde extrahi non poſſint. Unde in Eccleſiis, & earum Cæmeteriis non eſt licitum aliquid vendere, aut negotiationes exercere, exceptis Candelis, ſi id fiat ad fidelium devotionem promovendam. ut tenet A-zorius Part: 2. lib: 9. cap: 9. quæſt: 5. Prohibentur item in locis conſecratis & benedictis contractus, Concilia Sæcularia, Confabulationes, Comediæ profanæ, Comeſtiones, accubitus muſicæ impuræ, omnesq; actiones ſæculares,

9. Q.

9. 8. *In quo consistit Immunitas Realis & Personalis?*

R. In hoc quod Res & Personæ Ecclesiasticæ à Jurisdictione Sæcularium Magistratuum eorūq; gravaminibus immunes sint.

10. Q. *Quæ loca gaudent Immunitate Ecclesiastica?*

R. *1mò* Omnes Ecclesiæ sive consecratæ, sive non consecratæ, dummodo sint ab Episcopo benedictæ, vel aliquo signo, puta erectione Crucis ad Sacrificium Missæ deputatæ. *2dò* Imo Ecclesiæ nondum finitæ, dummodo in illis authoritate Episcopi lapis primus sit positus, & loco Altaris modo in Rituali præscripto Crux defixa. *3tiò* Gaudent etiam hoc privilegio Ecclesiæ aliquo infortunio dirutæ, nisi sint authoritate Superioris destructæ sine spe reædificationis. *4tò* Gaudent hoc privilegio etiam Ecclesiæ pollutæ, interdictæ, & nondum reconciliatæ, ut docent communiter DD. apud Reiffenstul. *5tò* Cæmeteria etiam ab Ecclesiis separata, authoritate Episcopi destinata. Item Sacristia, Turris, Atrium, Porticus, ambitus, quia hæc spectant ad Ecclesiam. Ita Barbosa lib: 2. Juris Eccles: c. 3. *6tò* Monasteria Religiosorum cum Claustro, & Horto, ut patet ex Bulla Gregorii XIV. quæ incipit: *Cum*

alias

alias 1591. emanata. *7mò* Collegia de propaganda Fide, Palatia Cardinalium extra Urbem, ex decisione Gregorii XIII. & Sixti V Palatia. Episcoporum cum Capellis eorum Seminaria Clericorum. Hospitalia Domus Orphanorum, nec non publica Oratoria &c. & alia loca authoritate Episcopi fundata, hæc omnia gaudent immunitate, & privilegio *Asyli*. *8vò* Gaudet jure *Asyli* confugiens reus ad Sacerdotem SS. Eucharistiam, vel Viaticum, imo etiam Olea Sacra deferentem. Quod privilegium Tancredi Tom. 3. lib: 4. dis: 8. quæst: 4. num. 5. extendit ad Domum Infirmi, in quo Præsbyter est cum Sanctissimo, licet non ingrediatur ad illud cubiculum, ubi est repositum SSmum pro infirmo. Plura in hac materia Felix Potestas in suo Exam: Confess: Tomo 1 part: 2. de primo præcept: Decal: cap: 4. num, 6. & infra

11. Q. *Qui gaudent privilegio Asyli?*

R. Omnes Fideles. de Paganis vero & Judæis controversia est apud DD. Si tamen extat Decretum S. Congreg: 1631. pro parte affirmativa, quod adducit Barbosa lib: 2. cap: 3. num: 44. tenendum est tales defendi debere.

12. Q. *An Hæretici gaudent jure Asyli?*

R.

R. Juxta Bullam Gregorianam non gaudere, propter enormitatem criminis ad subversionem Ecclesiæ tendentis.

13. Q. *Qui non gaudent jure seu privilegio Asyli?*

R. Illi omes, qui commiserunt crimina in jure expressa; & sunt 7 juxta Bullam Gregorii XIV. quæ incipit: *Cum alias.* imò Publici latrones, viarumq; grassatores, depopulatores agrorum, seu incendiarii segetum, homicidæ & mutilatores in Ecclesia, aut Cæmetorio, debet autem inde sequi mors, aut abscissio membri. Proditoriè proximum occidentes etiam infidelem. Nec Assasini, qui accepta pecunia occidebant homines quos aliqui volebant occidi. Hæretici, Rei læsæ Majestatis. Ex Bulla Benedicti XIII Anno 1725 Romæ emanata die 15. Junii, quæ incipit: *Ex quo Divina.* Sunt adhuc alia crimina, propter quæ non gaudent rei jure Asyli. De quibus videatur Felix Potestas loco supra citato, Paulò inferius.

14. Q. *Quæ sunt pœnæ ex jure Sacrilegè delinquenti, extrahenti reum violenter de Asylo Ecclesiæ?*

R. Præter reatum peccati mortalis gravissimi Sacrilegii, incurrit Excommunicationem latæ sententiæ Papæ reservatam,

jux-

juxta Bullam Gregorii XIV. & Benedi- cti XIII. privatur privilegio Asyli. juxta Leges Civiles fit reus criminis læsæ Majestatis.

§. 2.

De Indulgentiis.

1. Q. *Quid est Indulgentia?*

R. Est remissio pænæ temporalis peccatis actualibus, quo ad culpā jam remissis coram DEO adhuc debitæ, ab habente potestatem facta per applicationem sufficientis & condignæ solutionis ex communi thesauro Ecclesiæ. Seu à Clemente VI. in Extravag. *Unigenitus* de Pænit: & Remiss: definitur sic: Indulgentia quod sit: Remissio extra Sacramentum pænæ temporalis à DEO debitæ per applicationem satisfactionis Christi & Sanctorum.

2. Q. *Quotuplex est Indulgentia?*

R. Duplex Totalis, & Partialis. *1ma* est, quæ remittit totam pænam in Purgatorio luendam, & vocatur aliter plenaria. *2da* verò est, quæ eam tantùm pænam remittit, quæ in ejus concessione exprimitur. Et hæc est aliquando indeterminata, ut vg: dum remittitur tertia pars pænæ pro peccatis debitæ, aliquando est de-

ter-

terminata, ut dum conceditur Indulgentia septem annorum.

3. Q. *Quotuplex est Indulgentia Totalis?*
R. Duplex. Plenior, & Plenissima. Plenior est, dum facultas absolvendi, à Casibus reservatis superadditur. Plenissima est, quando ultra hæc conceduntur etiam dispensationes in Votis.

4. Q. *Quotuplex est Indulgentia non plenaria seu Partialis?*
R. Multiplex. Quadragena, seu Quarena, Septenna, & Carena. Quarena est Indulgentia 40. dierum, Septenna est Indulgentia 7. annorum. Carena est Indulgentia utramq; priorem complectens nempe dies 40. & annos septem.

5. Q. *Quotuplex est adhuc Indulgentia?*
R. Triplex. Personalis, Localis, & Realis. Personalis est, quæ Personæ conceditur, ut vg: si Papa concedat Petro indulgentiam quoties communicat, ubicumq; sit. Localis est, quæ conceditur loco, ut vg: Ecclesiam Cathedralem visitantibus. Realis est, quæ alicui rei conceditur vg: Cruci, Rosario, Imagini &c.

6. Q. *Quotuplex est adhuc Indulgentia?*
R. Duplex. Perpetua, & Temporalis. Perpetua est, quæ perseverat donec revocetur. Temporalis est, quæ conceditur

ditur ad tempus determinatum, quô finitô, cessat.

7. Q. *Quis potest concedere Indulgentias?*

R. Primario Summus Pontifex. Ita DD. Communiter. Illi enim Christus Dominus commisit dispensationem thesauri cælestis ex rationabili causa. Secundariò Episcopi, qui jure Communi possunt concedere Indulgentias 100 dierum in die Dedicationis Ecclesiæ, in Anniversario autem, & in aliis casibus dies 40.

8. Q. *Qui sunt capaces Indulgentiarum?*

R. Omnes Adulti Baptizati habentes conditiones requisitas ad consecutionem earum; & animæ in Purgatorio.

9. Q. *Qui non sunt capaces Indulgentiarum?*

R. Qui sunt in Termino, uti Beati & damnati, nondum baptizati, & infantes, imo & adulti, si qui essent sine ullo reatu pænæ temporalis.

10. Q. *Quæ conditiones requiruntur ex parte nostra ad lucrandas Indulgentias?*

R. Quatuor. Duæ ex parte concedentis, videlicet authoritas legitima, & justa causa concedendi Indulgentias. Ex parte verò suscipientis, status gratiæ, & executio operis injuncti. Ita Bellarminus lib: 1. de Indulg: cap: 11.

11. Q. *Translatô Festo transferunturnè Indulgentiæ?*

R. Ne-

R. Negativè. Quia Indulgentiæ affixæ sunt Diei, in quo Festum celebratur. Et ita declaravit S. Rituum Congreg: in Decreto 10. Junii 1690 edito.

12. Q. *Requiriturnè Intentio ad lucrandas Indulgentias?*

R. Actualis Intentio non est necessaria, sed sufficit Virtualis, aut interpretativa.

13. Q. *Indulgentia Plenaria differtnè à Jubileo?*

R. Non differunt quo ad substantiam, seu quo ad effectum remissionis totius pœnæ, sed tantum quo ad Jurisdictionem & majorem facultatem absolvendi à Casibus reservatis & Censuris, dispensandi in Votis, & Juramentis, quæ amplè concedi solent in Jubilæo.

§. 3.

De Jubilæo.

1. Q. *Quid est Jubileum?*

R. Est remissio plenissima pœnæ temporalis à Summo Pontifice concessa cum quadam universalitate & Appendice favorum Spiritualium iis, qui perficiunt opera præscripta.

2. Q. *Quotuplex est Jubilæum?*

R. Triplex, videlicet: Jubilæum Anni Sancti.

cti. Jubilæum Ordinarium, & Jubilæum Extraordinarium.

3. Q. *Quid est Jubilæum Anni Sancti?*
R. Patet ex præsenti Paragrapho.

4. Q. *Quid est Jubilæum Ordinarium?*
R. Est illud quod conceditur Regnis & Provinciis extra Italiam post annum Sanctum & durat per Bimestre.

5. Q. *Quid est Jubilæum Extraordinarium?*
R. Est illud quod conceditur vel post Coronationem Neo electi Papæ, vel in gravi aliqua necessitate Ecclesiæ, duratq; per 15. includendo tres Dominicas, & dies feriales 12. Ita P. la Croix lib: 6. part: 2 num: 1397.

6, Q. *Quo tempore institutum est Jubilæum?*
R. Licet initium ejus referatur ad tempora Apostolorum; tamen Bonifacius VIII. in Extravaganti juxta morē antiquæ Ecclesiæ annô à Nativitate Christi 1300. quolibet Centesimo Anno illud celebrari indulsit. Postea Annô 1450. Clemens VI. ob brevitatem vitæ humanæ quolibet anno quinquagesimo Jubilæum celebrari restrinxit Demum Anno 1425. Sixtus IV. & Anno 1470. Paulus II. quolibet Annô 25. terminatô solemni Ritu Annum Jubilæi celebrandum mandavit.

7. Q. *Unde habet suam originem Jubilæum Anni Sancti?*

R. Ex

R. Ex Lege Veteri. Nam hoc anno Populus Iſràéliticus clangore tubarum excitabatur ad recolendum annum Quiaquageſimum Ingreſsûs filiorum Iſràél in terram promiſſionis. Hôc annô Quinquageſimo Jubilæi, Judæis debita remittebantur, ſervi libertate donabantur, ut patet ex Levit: cap: 25.

8. Q. *Quis poteſt inſtituere Jubilæum Anni Sancti?*

R. Solus Pontifex quod ſede vacante indici nequit, neq; celebrari.

9. Q. *Quæ Conditiones requiruntur ad lucrandum Jubilæum?*

R. Illæ omnes, quæ in Bulla Jubilæi exprimuntur, nempe: ultra ſtatum Gratiæ requiruntur bona opera uti: Jejunium, Eleemoſina Viſitatio Eccleſiarum cum Oratione, Confeſſio, & Communio.

10. Q. *An lucraturus Jubilæum teneatur omnia injuncta Opera in uno eodemq; loco peragere?*

R. Non. Specialiter itinerantes longo tempore.

11. Q. *Quæ privilegia habent Confeſſari tempore Jubilæi?*

R. Hæc. imò Poſſunt abſolvere à quibusvis caſibus etiam in Bulla Cænæ reſervatis, excepta Hæreſi, imo & ab hac, ſi in Bulla Jubilæi non excipiatur. Ita Corduba

&

& alii. 2dò Conceditur facultas commutandi vota, excepto voto Castitatis & Religionis 3tiò Datur facultas commutandi opera præscripta.

12. Q *An Jubilæum potest bis obtineri?*

R. Probabiliter non. Quia Bullæ Jubilæorum utuntur clausula disjunctiva; videlicet: *qui prima vel secunda Hebdomadâ*, & infra. *Alterius ex duabus Hebdomadis*. ex quibus verbis Bullæ Jubilæi patet, quod non possit bis obtineri Jubilæum, sed semel duntaxat.

13. Q. *Quod si pænitens tempore Jubilæi inculpabiliter oblivisceretur confiteri aliquod peccatum reservatum?*

R, Post Jubilæum poterit à simplici Confessario obsolvi, dummodo antea fecerit de omnibus peccatis Confessionem, animo lucrandi Jubilæum, quia protunc fuit absolutus ab omnibus etiam oblitis. Ita Pikulski Part: 2. sect: 2. art. num: 5.

14. Q. *Quo Ritu inducitur Jubilæum Anni S.?*

R. Die Ascensionis Domini ante Annum Sanctum in Basilica S. Petri promulgatur Bulla Jubilæi, & in Vigilia Nativitatis aperitur Porta Sancta percussa argenteo malleo per Summum Pontificem penes publicas supplicationes, quæ iterum Anno elapso clauditur & muratur ter calce immissâ per Papam, in fine Vesperarum

Vigiliæ Nativitatis Christi. Plura lege Tom: 1. Tract: 1. Appendice de Jubilæo-Thlgiæ Moral: R. P. Nicol: Mazotta, vel Pikulski Part: 1. sect- 7. art: 9. de Jubilæo. R. P. Sebast: Riedl. Thlgiæ Moral: Tract: 10. art: 1. num. 2134.

TRACTATUS XII.
De Pœnis Ecclesiasticis.

§. 1.

1. Q. *Quæ sunt? & quod Pœnæ Ecclesiasticæ?*
R. Sunt Septem. Infamia, Depositio, Degradatio, Irregularitas, Excommunicatio, Suspensio, & Interdictum.

2. Q. *Quid est Infamia?*
R. Est diminutio bonæ famæ.

3. Q. *Quotuplex est Infamia?*
R. Duplex. Juris, quæ à jure infligitur committenti scelus enorme. Alia Facti, quæ perpetrato delicto stat in incurritur. Cum verò duplex Jus assignetur Civile videlicet, & Ecclesiasticum, idcirco etiã alii sunt infames de jure Ecclesiastico, alii de jure Civili.

4. Q. *Quod sunt effectus Infamiæ?*
R. Tres. 1mò Irregularitas 2dò Exclusio à Dignitatibus tam Ecclesiasticis quàm Politicis, & Civilibus. 3tiò Incapacitas

ad

ad hæreditatem. si Consangvinei fecerint quærelam contra infamem.

5. Q. *Quid est Depositio?*

R. Est privatio perpetua Clericalis muneris, per Canonicam sententiam cum debita solemnitate prolatam.

6. Q. *Quotuplex est Depositio?*

R. Duplex. Verbalis & Realis. Prima est illa, per quam Clericus arcetur ab Ordine vel Beneficio, vel utroq; simul, quã sequntur aliæ pænæ vg: carceratio, condemnatio ad Triremes &c. Secunda est, idem ac Degradatio quæ nihil aliud est, quam privatio Officii & Beneficii simpliciter & in toto sine spe restitutionis facta cum solemnitate certa, & privatione privilegii Clericalis, fori & Canonis, ut sæculari foro tradatur, & talis degradatio dicitur realis depositio.

7. Q. *Quid est Irregularitas?*

R. Est impedimentum Canonicum susceptionem Ordinum ac susceptorum usum impediens.

8. Q. *Quotuplex est Irregularitas?*

R. Duplex. Totalis, quæ privat omnis Ordinis susceptione, & suscepti exercitio, & Partialis, quæ impedit alicujus tantùm susceptionem, aut suscepti exercitiùm, ut vg: carens oculo finistro est quidem inhabilis ad Sacerdotium, non tamen ad alios Ordines.

9. Q. *Quotuplex est adhuc Irregularitas?*

R. Duplex. Una ex Delicto, quæ incurritur propter aliquod delictum in jure expressum. Alia ex Defectu, quæ est à jure imposita ob indecentiā, quā talis defectus affert Sacro Altari, & Ministerio.

10. Q. *Quæ sunt? & quot delicta, ex quibus contrahitur Irregularitas?*

R. Sunt septem. *1mò* Iteratio Baptismi voluntaria & absoluta. *2dò* Violatio Censuræ in susceptione & exercitio Ordinum. *3tiò* Indebita susceptio Ordinis, videlicet furtivè aut per saltum. *4tò* Exercitium Ordinis illius, quem non habet, vg: si Diaconus Missam celebret. *5tò* Hæresis, vel Apostasia quæ usq; à Fide. *6tò* Incurritur Irregularitas ex delictis infamibus tam juris civilis quàm Canonici. *7mò* Ex homicidio injusto, vel mutilatione sui ipsius, vel alterius,

11. Q. *Quid requiritur ad hoc, ut Irregularitas ex delicto incurratur?*

R. Requiritur actus externus, consummatus, & mortalis. Excusat autem ab incurrenda Irregularitate ex delicto ignorantia juris vel Facti, ut docent Svarez, Sanhez, Navarrus & alii.

12. Q. *Quot sunt defectus, & qui? ob quos incurritur Irregularitas ob defectum?*

R. Sunt Octo. *1mò* Defectus Animi. *2dò* Cor-

Corporis. *3tiò* Natalium. *4tò* Ætatis. *5tò* Sacramenti. *6tò* Libertatis. *7mò* Bonæ famæ *8vò* Lenitatis.

13. Q. *Qui sunt Irregulares ex defectu Animi?*

R. Usu rationis carentes, perpetuò amentes, lunatici, epileptici. Ex defectu Corporis irregulares sunt: Cæci, surdi, muti, carentes oculo sinistro, pollice, indice, claudi, gibbosi, leprosi. Ex defectu Natalium. Illegitimè nati. Ex defectu ætatis qui non habent ætatem præscriptam ab Ecclesia ad singulos Ordines suscipiendos, quæ autem præscripta ætas, dictum est de Ordinibus superiùs. Ex defectu Sacramenti Bigami. Hæc autem bigamia est triplex. Vera, Similitudinaria, & Interpretativa. Vera tunc est, quando quis plura contraxit & consummavit Matrimonia. Interpretativa est, cum contraxit cum una, sed vidua, violata ab alio Similitudinaria, est, quando quis in Sacris constitutus, vel in Religione professus contraxit & consummavit Matrimonium sive cum Virgine sive non. Ex defectu Bonæ famæ illi, qui exercent talem artem, cui est ex jure annexa infamia vg: Histriones, Mimi, Comedi, filii meretricis &c. Ex defectu Libertatis, sunt irregulares: Mancipia,

Con-

Conjugati, Curiales, Advocati. Ex defectu Lenitatis. Judices sententiam mortis ferentes, Notarii, Ministri justitiæ &c.

14. Q. *Qui & quod sunt effectus Irregularitatis?*

R. Duo præcipuè. *1mò* impedire susceptionem Ordinum ac susceptorum usum. *2dò* Reddere incapacem Beneficii, ut patet ex C. 2. Cleric:

15. Q. *Quot modis tollitur Irregularitas?*

R. Quatuor. *1mò* per susceptionem Baptismi. *2dò* Per Cessationem defectus. *3tiò* Per Professionem Religiosam illegitimi. *4tò* Per Dispensationem.

§. 2.

De Censuris.

1. Q. *Quid est Censura?*

R. Est Pæna Ecclesiastica privans Fideles delinquentes, & contumaces usu quorundam Bonorum Spiritualium ad eorum correctionem.

2. Q. *Quot sunt species Censuræ?*

R. Tres. Excommunicatio, Suspensio, & Interdictum.

3. Q. *Quotuplex est Censura?*

R. Duplex. à Jure, & ab Homine. Censura à Jure est, quæ infligitur per Canones

Sacros. Censura ab Homine est, quæ fertur à Prælato, vel Judice per modum Sententiæ, aut præcepti, quæ cessat morte mandantis, aut remotione ab Officio. Ita Mazotta Tom: 4. Thlgiæ Moral: tract: 8. disput: 1. cap: 2. de Censuris.

4. Q. *Quotuplex est adhuc Censura?*
R. Duplex. Generalis & Particularis. *1ma* est, quæ fertur contra totam Provinciam aut Sectam vg: contra Hæreticos &c *2da* verò est, quæ imponitur determinatis personis.

5. Q. *Quotuplex est adhuc Censura?*
R. Duplex Una latæ Sententiæ, quæ pro crimine commisso jam habet statutam pœnam, & statim incurritur absq; ulla sententia Judicis. Altera verò ferendæ sententiæ, quæ etiam comminatoria dicitur, hæc post crimen commissum per sententiam Judicis infligi debet.

6. Q. *Quotuplex est adhuc Censura?*
R. Reservata, & non reservata. Reservata est, cujus Absolutionem reservat sibi Superior Non reservata verò est, à qua quilibet Sacerdos approbatus absolvere potest.

7. Q. *Quotuplex est adhuc Censura?*
R Duplex. Major, & Minor. Major Censura est, quæ grave præsupponit delictum, pænasq; graviores inducit, & non potest

à Con-

à Confeſſario abſolvi ad hoc non deputato. Minor Cenſura eſt, quæ minus privat, & facile poteſt abſolvi à quolibet Confeſſario. ut Excommunicatio minor. Ita Nicolaus Mazotta loco ſupra citato.

8. Q. *Quotuplex eſt adhuc Cenſura?*

R. Triplex. Abſoluta, Conditionata, & Disjunctiva. Prima eſt cum quis à Judice vg: ipſo jure excommunicatur ob delictũ commiſſum, prohibitum jam ſub Cenſura comminatoria. Secunda eſt, cum fertur ſub conditione vg: ſi facias aliquid, vel omittas. Conditio autem hæc debet eſſe juſta & honeſta. Tertia eſt, quæ fertur ſub disjunctione, ut vg: ſub pæna Excommunicationis, vel Suſpenſionis, aut ſub privatione Officii vel Beneficii, & talis Cenſura ferenda ſoli Papæ competit. Ita Bonacina d. 1. q. 1. p. 7. n. 4. & alii quos citat Mazotta loco ſupra citato.

9. Q. *Tandem quotuplex eſt Cenſura?*

R. Duplex. Juſta, & Injuſta. Juſta eſt illa, quæ fertur ab habente Authoritatem legitimam, ob juſtam cauſam, præviis tribus monitionibus, & ſervato ordine juris. Injuſta verò dicitur, cui aliqua deeſt ex conditionibus prædictis.

10. Q. *Quis poteſt ferre Cenſuras?*

R. Primario & per ſe Papa reſpectu omniũ Chriſtianorum. Legati à latere in Provin-

cia

cia suæ legationis Cardinales in suis Ec-
clesiis Deinde Archi-Episcopi, Episcopi, in
sua Diœcesi. Itē Generales, Provinciales,
non tamen Parochi, ut docet Scotus in 4.
dist: 19. quæst: 4. Neq; fæminæ etiamsi
sint Abbatissæ, quia fæminæ non sunt ca-
paces iurisdictionis seu potestatis Claviū.
Cap: de Monialibus. Cap: de sententia
Excommunicationis Neq; Laico hæc fa-
cultas attribui debet, ut patet ex Can:
in Nona 7.

11. Q. *In quos potest ferri Censura?*
R. In hominem baptizatum, viatorem ha-
bentem usum rationis, & subditum, &
hic potest esse absens à Territorio, vel
in eo extraneus, vel Vagus, vel Exem-
ptus. Ita Mazotta cap: 4. locô citatô.

12. Q. *In quos non potest ferri Censura?*
R. In non baptizatos, ut in infideles, Pa-
ganos & Cathechumenos. Secus dicen-
dum de Hæreticis, Apostatis & Schisma-
ticis. *2dò* Neq; in mortuos, qui solum
declarari possunt stante vitâ incurrisse
Censuram & si dederint signa pœnitentiæ
ante mortem, debent absolvi. Ita cap:
à nobis 2. & cap: Sacris *3tiò* In Papam
non potest ferri Censura, quia nulli ju-
risdictioni est subjectus in terra.

13. Q. *Quam ob causam potest ferri Censura?*
R. *1mò* Ob peccatum mortale opere ex-
ter-

terno completum proprium] vel alienũ. 2dò Ob contumaciam, cum quis sciens rem aliquam esse prohibitam ab Ecclesia sub aliqua Censura, nihilominùs eam cõmittit vel præceptum omittit.

14. Q. *Quæ excusant ab incurrenda Censura?*
R. 1mò Ignorantia Juris & Facti, dummodo non sit affectata, & crassa 2dò Parvitas materiæ, 3tiò Imperfectus consensus. 4tò Impotentia Physica & Moralis. 5tò Appellatio legitimè interposita ad Superiorem post comminationem Censuræ ab inferiori facta antequam incurratur. 6tò Prorogatio termini facta ab eo, qui tulit Censuram. 7mò Voluntas Ejus, in cujus favorem lata est Censura.

15. Q. *Quis à Censuris absolvere potest?*
R. A non reservatis potest quilibet Confessarius absolvere pro foro interno. In foro autem externo Superior censurati; videlicet Episcopus vel ejus Vicarius. A Reservatis autem tam pro foro interno, quam externo, ille solus, cui sunt reservatæ. In articulo mortis potest quilibet Sacerdos absolvere, cum ea conditione, ut extra periculum mortis existens, sistat se habenti Jurisdictionem ad absolvendũ.

16. Q. *Possuntne Episcopi absolvere in foro Conscientiæ per se, vel per suum Vicarium ab omnibus Censuris occultis Papæ reser-*

reservatis, etiam in Bulla Cœnæ contentis?
R. Possunt tunc, quando Pontifex adiri non potest. Ita Trident: Sess: 24. de Reform: cap: 6. Liceat Episcopis in quibuscunq; casibus occultis etiam Sedi nostræ reservatis, delinquentes quoscunq; sibi subditos in sua Diæcesi per seipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputatum in foro Conscientiæ gratis absolvere, imposita pænitentiâ salutari. Non possunt autem adire Pontificem illi, qui laborant impedimentô perpetuô morali vel physico vg: propter morbum, senium, sexũ, pauperiem, vitæ periculum, infamiam, scandalum, officium publicum, ita Joannes Syri in Divo Antonino redivivo Part: 3. tit: 15. cap: 3. num: 69.

17. Q. *Quæ dicitur Censura occulta?*
R. Illa, quæ contracta est ob delictum non publicum, nec ad forum contentiosum deductum.

§. 3.

De Censuris in Specie.

1. Q. *Quot sunt Censuræ in Specie?*
R. Tres. Excommunicatio, Suspensio, & Interdictum.

2. Q. *Quid est Excommunicatio?*

R. Est

R. Eſt Cenſura Eccleſiaſtica privans hominem baptizatum communione Fidelium.

3. Q. *Quotuplex eſt Excommunicatio ?*

R. Duplex. Major, & Minor Excommunicatio Major eſt Cenſura, per quam homo privatur bonis Eccleſiæ communibus tam activè, quàm paſſivè. Excommunicatio Minor eſt Cenſura, per quam homo privatur ſolum participatione paſſiva Sacramentorum.

4. Q. *Quid eſt participatio paſſiva Sacramentorum ?*

R. Eſt receptio illorum. Activa verò eſt adminiſtratio eorum.

5. Q. *Quo differt Excommunicatio Major à Minori ?*

R. Hóc, quia minor incurritur propter unicam cauſam, videlicet propter communicationem cum excommunicato excommunicatione majori. Excommunicatio verò Major incurritur propter multas, quæ debent eſſe peccata mortalia.

6. Q. *Quotuplex eſt Excommunicatus Excommunicatione Majori ?*

R. Duplex. Vitandus, & non Vitandus, ſeu toleratus. Vitandus eſt, qui privatur omnibus bonis communibus Fideliū. Non vitandus autem non privatur exteriori converſatione. Hæretici enim ſunt majori excommunicatione ligati, & tamen

tamen quia non sunt vitandi, commercia possunt habere cum Catholicis.

7. Q. *Quæ? & quot sunt bona Fidelium communia?*

R. Tria. 1mò Sacramentorum participatio. 2dò Orationes & Suffragia Ecclesiæ. 3tiò Exterior Conversatio, quæ in mutuo colloquio & convictu Fidelium consistit.

8. Q. *In quibus Casibus prohibitum est communicare cum Excommunicatis vitandis?*

R. In Casibus hoc Versu expressis.

Os. Orare. Vale, Communio, Mensa negatur.

Per *Os* intelligitur allocutio, amplexus, oscula, & alia signa amicitiæ.

Per *Orare* significatur Oratio, quæ prohibetur fieri cum Excommunicatis.

Per *Vale* denotatur honorifica salutatio.

Per ly *Communio* intelligitur omnis contractus & societas cum Excommunicatis in habitatione, itinere, ludo, lecto &c.

Per ly *Mensa* significatur communicatio Cibi, & potus in eadem mensa.

9. Q. *In quibus Casibus licitum est communicare cum Excommunicato vitando?*

R. In quinq; hoc Versu expressis:

Utile, Lex, humile, res ignorata, necesse.

Per ly *Utile* significatur quævis utilitas tam spiritualis, quàm temporalis.

Per ly *Lex* intelligitur obligatio reddendi

non

non tolerato, quod ejus eſt, aut petendo ab illo, quod ſuum eſt. vg: licitum eſt Uxori petere & reddere debitum excommunicato vitando marito ſuo.

Per ly *humile* denotantur ſervi reſpectu Dominorum, Filii reſpectu Parentum.

Per ly *Res ignorata* denotatur ignorantia invincibilis tam juris, quàm facti.

Per ly *Neceſſe* intelligitur notabilis neceſſitas tam Spiritualis, quàm temporalis ſivè ipſius excommunicati, ſive etiam communicantis.

10. Q. *Quotuplex eſt Communio Fidelium?*

R. Triplex. Purè Interna, Purè Externa, & Media ſeu Mixta. *1ma* conſiſtit in Fide & Charitate, per quam Fideles inter ſe, & cum Chriſto Capite ſuo myſticè copulantur. *2da* eſt merè politica, conſiſtens in Fidelium convictu, colloquio aliisq; cæremoniis. *3tia* eſt, quæ in exterioribus actionibus ſeu Cæremoniis Eccleſiaſticis conſiſtens interiorem ac Spiritualem fructum ex propria inſtitutione continet.

11. Q. *Qua igitur Communione privat Excommunicatio major Cenſuratum?*

R. Communione tam purè externâ, quàm mediâ, non tamen purè internâ, quia Eccleſia non judicat de internis. Item non privat excommunicatum privatis orationibus Fidelium.

12. Q.

12. Q. *Quod ſunt effectus Excommunicationis Majoris ?*

R. Novemdecim illos numerat Navarrus, quem citat Mazotta Tom: 4. Thlg: Moral: Tract: 8. de Cenſuris. Diſp: 2. quæſt: 2. Brevitati autem ſtudendo ad ſex reducuntur tantum. *1mò* Excommunicati privantur Sepultura Eccleſiaſtica. *2dò* Sunt inhabiles ad Dignitates Eccleſiæ. *3tiò* Privantur Suffragiis, Indulgentiis ac Sacramentis. *4tò* Privantur omni Jurisdictione Eccleſiaſtica. *5tò* Non poſſunt ſtare in Judicio tam Civili, quam Eccleſiaſtico. *6tò* Qui per annum in Excommunicatione Majori permanſerint juxta Trident: Seſſ: 25. cap: 3. puniendi ſunt, ut Hæretici, ſiquidem tales notabiliter contemnunt Poteſtatem Eccleſiæ.

§. 4.

De Suſpenſione.

1. Q. *Quid eſt Suſpenſio ?*

R. Eſt Cenſura Eccleſiaſtica, quâ prohibetur vel arcetur Clericus ab aliquo actu Eccleſiaſtico, aliàs ſibi competente.

2. Q. *Quotuplex eſt Suſpenſio ?*

R. Triplex. *1ma* eſt Suſpenſio ab Officio tantùm: quâ privatur Clericus uſu Ordi-

nis

nis, & potestatis Spiritualis, *2da* est a Beneficio tantùm: quà Clericus privatur administratione & fructibus sui Beneficii. *3tia* est ab utroq; simul: quà Clericus privatur potestate Spirituali, & fructibus temporalibus.

3. Q. *Quotuplex est adhuc Suspensio ?*
R. Duplex. Alia totalis, alia partialis. *1ma* privat Clericum omni actu Ordinis, & perceptione omnium fructuum Beneficii. *2da* est, quæ privat aliquo tantum actu Ordinis, ut est suspensio à Confessionibus.

4. Q. *Quotuplex est adhuc Suspensio ?*
R. Duplex. Determinata, & Indeterminata. Determinata est, quæ ad certum tempus arcet Clericum, vel ab exercitio Ordinis, vel à fructibus Beneficii, quô elapsô statim cessat absq; ulla absolutione. Indeterminata verò est, quæ privat Clericum sine præscriptione temporis, duratq; adusq; donec per absolutionem tollatur.

5. Q. *Quotuplex est adhuc Suspensio ?*
R. Est Duplex. Denuntiata & non Denuntiata. *1ma* est. quæ obligat Fideles vitare Suspensum denuntiatum, neq; illi permittit ministrari in iis, quæ illi prohibita sunt per Suspensionem, idq; sub gravi culpa, nisi parvitas excuset materiæ, non

tamen

tamen sub Censura vg: Excommunicatio-
onis &c. quia hoc non est expressum in
jure. *2da* est. quæ non denuntiatum su-
spensum permittit non vitare. Ita Concil:
Constant:

6. Q. *Quotuplex est adhuc Suspensio?*
R. Duplex Alia est per modum Censuræ, alia per modum puræ pænæ. *1ma* est pæna Ecclesiastica, quæ infligitur Clerico contumaci. ut corrigatur; & hæc requirit præviam monitionem. *2da* est, quæ infligitur Clerico in vindictam sceleris commissi præteriti. Ita Tamburinus cap: 1. num: 1.

7. Sunt adhuc & aliæ divisiones Suspensionis, videlicet alia à jure alia ab homine, Item Alia latæ, alia ferendæ sententiæ. De his §. 1. num: 3. & 4. Tract: præsenti dictum est.

8. Q. *Qui possunt suspendere?*
R. Ille solus, qui potest ferre Censuras Eccesiasticas. Siquidem Suspensio est una ex Censuris.

9. Q. *Qui possunt suspendi?*
R. Soli Clerici tam Sæculares, quàm Regulares saltem primâ initiati tonsurâ. Ita P. Sebast: Riedl Thlgiæ Moral: Tract: 9. de Censuris. n. 2007. Non tamen Priorissæ Abbatissæ &c. Si quidem fæminæ Jurisdictionem Ecclesiasticam, aut Offi-

cium Ordinis exercere non poſſunt, quibus privat Suſpenſio. Ita Salmaticenſes Tract: 10. cap: 5 p. 1. num. 4.

10. Q. *Quot modis contrahitur Suſpenſio?*

R. Quinq; *1mò* In Ordinatione non debita. *2dò* Propter exercitium illicitum Ordinis. *3tio* Propter defectus aliquos commiſſos, circa munia ad Clerum ſpectantia *4to* Propter peccata à Clericis commiſſa *5tò* Regulares Clerici incurrunt ſuſpenſionem à jure latam propter ſeptem Caſus, de quibus infra.

11. Q. *Quot ſunt Suſpenſiones, quæ contrahuntur à Clericis in ipſa Ordinatione peccantibus?*

R. Sunt Duodecim. *1mò* Suſpenduntur recipientes Ordines ab Epiſcopo, qui renuntiavit Epiſcopatui. *2dò* Recipientes ab alieno ſine licentia proprii. *3tiò* Recipientes à proprio Epiſcopo in aliena Diœceſi ſine licentia Ordinarii *4tò* Recipientes ab Excommunicato vel ſuſpenſo. *5tò* Recipientes Ordines ante legitimam ætatem *6tò* Extra tempora ſine diſpenſatione. *7mò* Non ſervatis interſtitiis. *8vò* Ordinati ficto titulo *9nò* Promoti per ſaltum. *10mò* Ordinati poſt Matrimoniũ ratum. *11mò* Si ſint Excommunicati, ſuſpenſi, interdicti. *12mò* Si quis vacante Epiſcopatu non habens Beneficium ſaltem

infra

infra Annum cum Literis Dimiſſoriis à Capitulo receptis ordinetur in Sacris.

12. Q. *Quot ſunt Suſpenſiones, quæ incurruntur propter exercitium Ordinis?*

R. Sunt 5. 1mò Suſpenduntur, qui utuntur aliquo Ordine in loco interdicto. 2dò Celebrantes coram Excommunicato, vel interdicto, vel eum admittentes ad Divina, aut ad ſepulturam Eccleſiaſticam. 3tiò Admittentes ad ſepulturam Uſurarios publicos. 4tò Parochi jungentes Sponſos alterius Parochiæ ſine licentia Parochi illorum. 5tò Parochi, qui contemnunt prohibere Matrimonia clandeſtina.

13. Q. *Quomodo peccant illi, qui violant Suſpenſionem?*

R. Peccant mortaliter, niſi levitas materiæ excuſet. Inſuper violantes Suſpenſionem per exercitium ſolemne Ordinis Sacri, præter novam Suſpenſionem incurrunt Irregularitatem.

§. 5.

De Interdicto.

1. Q. *Quid eſt Interdictum?*

R. Eſt Cenſura Eccleſiaſtica prohibens Divinorum Officiorum, Sacramentorum aliquo-

quorum, & Ecclesiasticæ Sepulturæ Usum.

2. Q *Quotuplex est Interdictum?*

R. Triplex Locale, Personale, & Mixtũ. *1mum* afficit immediatè locum. *2dum* afficit immediatè Personas *3tium* est, quod afficit locum & ejus Incolas.

3. Q. *Quotuplex est adhuc Interdictum?*

R. Duplex. Generale & Particulare. Interdictum Generale est, quò locus generalis ut vg: Regnum, Provincia, Civitas, vel quò Communitas aliqua vg: Collegiũ, Academia interdicitur. Particulare est, quò locus aut Persona particularis interdicitur vg: Petrus, Paulus, vel Ecclesia certa, cum qua semper comprehenditur Sacellum, & Cæmeteriũ, siquidem accessorium sequi debet suum principale.

4. Q. *Per quid differt Interdictum ab Excommunicatione?*

R. Per id *1mò* Quia Eccommunicatio præter alia privat conversatione humana, non sic Interdictum. *2dò* Excommunicatio fertur solum in nocentes, Interdictum verò etiam contra innocentes vibratur si fuerint intra Communitatem interdictam.

5. Q. *Quot sunt effectus Interdicti?*

R. Jure novo Tres sunt. *1mò* Privatio Divinorum Officiorum. *2dò* Privatio aliquorũ Sacramentorũ. *3tiò* Privatio Ecclesiastiæ Sepulturæ ut patet ex Cap:

Alma

Alma mater. de ſententia Excommunicationis in 6. Additur etiã ab aliquibus 4tus effectus, ſcilicet: Privatio ingreſſus Eccleſiæ.

6. Q. *Quale requiritur delictum ad incurrendã Cenſuram Interdicti?*

R. Mortale cum contumacia commiſſum ab omnibus vel ab aliquibus in Communitate exiſtenſibus, à Capite, vel præcipuis membris.

7. Q. *Quomodo peccant, qui Interdictum violant?*

R. Laici peccant mortaliter, ſi violant Interdictum Perſonale. Si verò violant Locale, peccant venialiter. Clerici verò ultra peccatum mortale incurrunt Irregularitatem, celebrando vg: in Eccleſia interdicta. Ita Benedictus XIV. de Sacrif: c. 3.

TRACTATUS XIII.
De Sacramentis in Genere.

§. 1.

1. Q. *Quid eſt Sacramentum?*

R. Eſt inviſibilis Gratiæ viſibile ſignum ad noſtram ſanctificationem inſtitutum. Ita S. Auguſtinus lib: 10 de Civitate DEI,

2. Q. *Quæ fuerunt Sacramenta in Veteri Lege?*

R. Ab

R. Ab Adam usq; ad Abraham tam pro Masculis, quàm pro fœminis fuit deletiva culpæ originalis: Protestatio Fidei à Parentibus signo sensibili facta DEO in venturum Messiam. Ab Abraham verò usq; ad Adventum Domini pro Masculis fuit Circumcisio. Pro fœminis autem fuit eadem Protestatio &c. Item esus Agni Paschalis, Oblationes &c.

3. Q. *Quot sunt Sacramenta Novæ Legis ?*

R. Septem. Baptismus, Confirmatio Eucharistia, Pænitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium. Ita Trident: Sess: 7. can. 1.

4. Q. *Quotuplicia sunt Sacramenta ?*

R. Duplicia. Alia sunt Vivorum, quæ in suscipientibus supponunt Gratiam, quæ est vita Spiritualis animæ, Alia Mortuorum, quæ in suscipientibus supponunt peccatum sive Originale, ut Baptismus, sive Personale ut Pænitentia.

5. Q. *Quotuplicia sunt adhuc Sacramenta Novæ Legis ?*

R. Duplicia. Formata, & non formata. Formata sunt, quæ in suscipiente habent suũ effectum, & causant gratiam. & talia sunt Sacramenta, quoties in suscipiente non inveniunt obicem Non formata sunt, quæ in suscipiente non causant gratiam ob peccatum in eo existens, vel ob

inde-

indebitam dispositionem seu præparationem, ut patet in Juda *Joan: 13.* de quo dicitur: post buccellam panis intravit in eum sathanas.

6. Q. *Quotuplicia sunt adhuc Sacramenta?*
R. Duplicia Iterabilia, quæ multoties possunt iterari & suscipi, ut Eucharistia, Extrema Unctio, Pænitentia, & Matrimonium. Et non Iterabilia, quæ non possunt iterari, imprimuntq; Characterem, ut Baptismus, Confirmatio, & Ordo.

7. Q. *Quotuplicia sunt adhuc Sacramenta?*
R. Triplicia. Alia sunt necessara necessitate Medii, scilicet Baptismus respectu Infantium Pænitentia vel in re, vel in Voto respectu Adultorum. Alia sunt necessaria necessitate Præcepti, ut Eucharistia saltem semel in anno. Alia de rati ne utilitatis, ut Ordo & Matrimonium.

8. Q. *Quotuplicia sunt adhuc Sacramenta?*
R. Duplicia. Priora ordine necessitatis, ut Baptismus, Pænitentia. Alia Priora ordine Dignitatis, ut Eucharistia.

9. Q. *Quis est Author Sacramentorum?*
R. JESUS Christus, ex Ejus enim Passione & Morte omnia Sacramenta suam vim, & efficaciam habent.

10. Q. *Quando Christus instituit Sacramenta Novæ Legis?*

R.

R. Baptiſmum tunc, quando à Joanne fuit Baptizatus in Jordane. Confirmationem dum dixit: *Lucæ 24.* Sedete in Civitate. Euchariſtiam *Matth: 26.* accipite & manducate. Pænitentiam, dum dixit: *Joan: 20.* Accipite Spiritum Sanctum. Extremam Unctionem. quando Apoſtoli miſſi à Domino multos ungebant oleò *Matth: 6.* Ordinem, cum dixit: ſicut miſit me vivens Pater *Joan: 20.* Matrimonium inſtituit, vel potius ad rationem Sacramenti elevavit, cum dixit: Quod DEUS conjunxit, homo non ſeparet. *Matth: 19.*

11. Q. *Quæ requiruntur ad valorem cujuslibet Sacramenti?*

R. Tria. Juxta Concil: Florent. in Decreto Eugenii IV. Materia, Forma, & Intentio Miniſtri ac Suſcipientis. Intentio verò eſt conditio ſine qua non poteſt validè confici Sacramentum. Inter Materiam & Formam debet eſſe ſimultas non quidem phyſica & Mathematica, ſed ſufficit moralis vg: in Baptiſmo, antequam finiâtur ablutio baptizandi, incipiat baptizans formam.

12. Q. *Quid eſt Materia Sacramenti?*

R. Res quædam ſenſibilis ex inſtitutione Chriſti efficaciter ſignificans Gratiam.

13. Q. *Quotuplex eſt Materia?*

R. Du-

R. Duplex. Remota, quæ sunt ipsæ res sensibiles. ut vg: aqua in Baptismo. Proxima verò est, harum rerum applicatio, seu traditio & acceptatio.

14. Q. *Quid est Forma Sacramentorum ?*
R. Sunt verba a Ministro prolata in applicatione materiæ

15. Q. *Quis est Minister, & Suscipiens Sacramentorum ?*
R. De lege Ordinaria solus homo Viator, quia sunt instituta ad salutem hominis Viatoris.

16. Q. *Quotuplex est Minister Sacramentorū?*
R. Duplex. 1mus est Solemnitatis, qui conficit, aut administrat specialiter ad hoc deputatus, vel consecratus, 2dus Necessitatis, qui sine deputatione speciali conficit Sacramenta Sic Minister Baptismi in periculo potest esse Fæmina, Judæus &c. dummodo intendat facere id, quod facit Romana Ecclesia.

17. Q. *An in Ministro Sacramentorum requiratur Intentio, ut validè administret Sacramentum ?*
R. Requiritur, eaq; saltem implicita faciendi id, quod facit Ecclesia. Ita Conc: Florent: in Decreto Eugenii IV. & Trident. Sess. 7. de Ministro,

18. Q. *Requiriturnè status Gratiæ in Ministro ?*

R.

R. Affirmativè in miniſtro Solemnitatis, non eſt tamen neceſſarius ad valorem Sacramenti.

19. Q. *Quotuplex eſt Ritus ſervandus à Miniſtro Solemnitatis in adminiſtrandis Sacramentis?*

R. Duplex. Unus præſcriptus à Chriſto, nimirum Materia, Forma, & Intentio. Alter præſcriptus ab Eccleſia, ut ſunt Cæremoniæ externæ. Uterq; autem Ritus eſt ſervandus. *1mus* de Neceſſitate Sacramenti, *2dus* de Neceſſitate Præcepti Eccleſiæ ob majorem rei ſacræ ſignificationem vel Miniſtri ornatum.

20. Q. *Quotuplex eſt Intentio?*

R. Quadruplex *1ma* Actualis, quæ actu intendit facere id, quod facit Eccleſia, aut alii Miniſtri. *2da* Virtualis, eſt intentio actualis præterita non retractata virtualiter permanens in aliquo, quod influit in opus vg: dum quis è Cubili ſurgens habeat intentionem celebrandi, & hoc ſine ornat ſe, exit ex cubiculo, curat pulſari campanas, aperire Eccleſiam, & deinde celebrat, talis Presbyter cenſetur habere intentionem virtualem. *3tia* Intentio habitualis, eſt habitus & uſus ex præteritis intentionibus genitus ut vg: ſi quis ad celebrandum accederet nullâ intentione præmiſſa, ſed per ſimplicē uſū.

4ta

4ta Interpretativa est illa, per quam quis vult aliquid non in se, sed in causa ut vg: si quis sciret se tale crimen in ebrietate commissurum, talis dū vult ebrieatē, vult etiam consecutivè crimen. Ad validè ergò & licitè consecrandum sufficit Intentio Virtualis, ast est optima Actualis; non sufficit autem habitualis aut interpretativa, quia Consecratio debet fieri modo rationali & humano.

21. Q. *Quotuplex est adhuc Intentio?*

R. Duplex. Absoluta, per quam intenditur aliquid fieri absq; ulla conditione. Et Conditionata, per quam quis intendit aliquid facere cum conditione. In Collatione autem & Susceptione Ordinum debet esse Intentio absoluta, & non conditionata, & licet Episcopus protestetur se nolle irretitos censuris ordinare, format tamen immediatè aliam absolutam Intentionem ordinandi videlicet omnes sibi præsentes.

§. 2.

De Effectibus Sacramentorum.

1. Q. *Qui & quot sunt Effectus Sacramentorum?*

R. Duo. Gratia, & Character. Gratiam

cau-

causant omnia Sacramenta licitè & validè suscepta. Characterem verò imprimunt solum tria: Baptismus, Confirmatio, & Ordo.

2. Q. *Qualem Gratiam causant Sacramenta?*

R. Omnia causant Gratiam habitualem sanctificantem ex opere operato, non tamen omnia primam, sed solum Baptismus, & Pænitentia. Reliqua verò quinq; Sacramenta causant per se, & ex institutione Christi gratiam habitualem secundam.

3. Q. *Causantnè adhuc Sacramenta Novæ Legis aliam Gratiam?*

R. Causant videlicet Sacramentalem, & sic per Baptismum regeneramur in vitam æternam, per Confirmationem roboramur ad Fidem Christi constanter confitendam, per Eucharistiam cibamur Corpore Christi ad tentationes vincendas, per Pænitentiam pæna æterna commutatur in temporalem, per Extremam Unctionem conferuntur auxilia contra tentationes in mortis articulo, per Ordinem dantur auxilia ad dignè exequendum ministeria Sacra, & per Matrimoniū auxilia, ad sustinenda ejus onera, & prolem rectè educandam.

4. Q. *Quotuplex est Gratia DEI?*

R. Duplex: Interna, quæ hominem interius afficit, sive per modum permanen-

tis,

tis, ut eſt Gratia habitualis ſive tranſeuntis, ut eſt gratia actualis Externa eſt, quæ hominē interius non afficit, ſed tantū movet ſenſus vg: Prædicatio, miracula. Interna quoq; eſt Duplex Gratis data, quæ datur propter commodū aliorum, ut vg: Gratia Sapientiæ, miraculorū patratio &c. de his S. Paulus ad Eph: 4. fuſiùs. Gratum faciens eſt, quæ datur alicui propter ſalutem alicujus ſpecialiter.

5. Q. *Quotuplex eſt adhuc Gratia DEI?*

R. Actualis, quæ eſt donum ſupernaturale actu à DEO alicui collatum Habitualis verò eſt Donum Supernaturale ſeu qualitas ſpiritualis infuſa à DEO permanenter inhærens animæ, & ſanctificans illam.

6. Q. *Quotuplex eſt Gratia Actualis?*

R. Duplex Alia eſt Excitans, per quam avocamur à peccato & quaſi ex ſomno mortis excitamur per inſpirationes internas. Alia Adjuvans quâ auxiliante DEO in bonis operibus noſtris adjuvamur. *1ma* dicitur Antecedens, quia antecedit omnē actum voluntatis noſtræ *2da* dicitur Concomitans, quia adjuvando voluntatem noſtram, eſt quaſi comes illius.

7. Gratia autem Excitans eſt duplex, Sufficiens nimirum, & Efficax. Gratia Sufficiens eſt motus ſupernaturalis internus quô quidem movemur internè, non tamen

men

men assensum præbemus. Gratia verò Efficax est ille motus supernaturalis internus, cui assensum præbemus, qui ideo dicitur efficax, quia efficit hoc in nobis, ad quod nos excitat, vel. Gratia Sufficiens est, quæ dat posse ad agere Efficax verò, quæ dat ipsum agere.

8. Q. *Quotuplex est Gratia Habitualis?*
R. Duplex. Alia Prima, quæ nullam ante se præsupponit, ut in Baptismo & Pænitentia. Alia Secunda, quæ ante se aliā præsupponit, estq; augmentum prioris, ut in cæteris quinq; Sacramentis, quæ sunt Sacramenta Vivorum.

9. Q. *Quotuplex est adhuc Gratia?*
R. Duplex. Una est ex Opere Operato, quæ videlicet confertur dependenter à Meritis Christi. Altera ex Opere Operantis, quæ se habet dependenter à mensura dispositionis, vel meritis suscipientis Sacramentum vel Ministrantis.

10. Q. *Quæ sunt causæ Gratiæ Sacramentalis?*
R. Solus DEUS est causa Physica principalis. Christus Dominus est causa Meritoria principalis. Sacramenta sunt causæ Instrumentales morales.

11. Q. *Quis est 2dus effectus Sacramentorū?*
R. Character.

12. Q. *Quid est Character.*
R. Est signum Spirituale, & indelebile impres-

pressum Animæ, per quod homo insignitus differt ab alio non habente illud.

13. Q. *Quotuplex est Character?*

R. Triplex. *1mus* Baptismi, per quem homo Christianus differt à non Christiano, seu ab Infideli & Pagano *2dus* Confirmationis, per quem unus differt ab alio, tanquã miles fortis ab infirmo. *3tius* Ordinis, per quẽ unus homo difert ab alio tanquam perfectus ab imperfecto.

§. 3.

In Specie De Baptismo.

1. Q. *Quid est Baptismus?*

R. Est Sacramentũ regenerationis per aquã in Verbo Vitæ.

2. Q. *Quotuplex est Baptismus?*

R. Triplex. Baptismus Fluminis est, qui confertur in aqua elementari; & talis est propriè Sacramentum, imprimitq; Characterem, cæterorumq; Sacramentorum est Janua. Baptismus Flaminis, est perfecta ad DEUM conversio per actum perfectæ Contritionis includentis in voto Baptismum fluminis, juxta Trident: Sess: 14. cap: 4. & solum adultis usu rationis pollentibus competit. Baptismus Sangvinis est Martyrium supplens defectum

Ba-

Baptiſmi aquæ ſeu fluminis.

3. Q. *Quis eſt effectus ſeu Virtus Baptiſmi?*

R. *1mò* Infuſio Gratiæ habitualis cum virtutibus Theologicis *2dò* Impreſſio Characteris indelebilis in anima. *3tiò* Remiſſio peccatorum non tantum quo ad culpam, ſed etiam quo ad pænam temporalem & æternam. *4tò* Collatio auxiliorum ſupernaturalium ad finem æternum conſequendum. *5tò* Conjunctio Moralis hominis baptizati cum Chriſto, tanquam membri cum Capite.

4. Q. *Quæ eſt Materia Baptiſmi?*

R. Aqua naturalis elementaris ex fontibus, fluminibus, puteis, ſtagno, mari, etiamſi per meatus ſulphuris tranſiret; hinc non ſufficit ad valorem aqua artificialis vg: Roſeacea, aut alia diſtillata, nec jusculum carnium, nec nix, aut glacies non reſoluta, nec liquor ex vite, arbore, ſaliva, ſudor &c.

6. Q. *Quot modis poteſt fieri Ablutio?*

R. Tribus. *1mò* Per Immerſionem alicujus partis Corporis baptizandi in aquam. *2dò* Per Effuſionem aquæ in corpus, ut in Eccleſia Latina. *3tiò* Per Aſperſionem. Ordinariè loquendo, Aqua debet eſſe benedicta, & pars corporis abluenda debet eſſe Caput, aut aliqua pars principalis. In caſu verò neceſſitatis ſufficit quæ-

quælibet aqua, & quælibet pars Corporis.

7. Q. *Quæ est Forma Sacramenti Baptismi?*
R. In Ecclesia Latina verba hæc: Ego Te baptizo in Nomine Patris & Filii, & Spiritûs Sancti Amen. In Ecclesia autem Græca: Baptizetur servus Christi in Nomine Patris &c. Validum quoq; esse Baptismum collatum sub Forma Dalmatina: Ego te Christizo, vel ego te Christianum facio, si hæc verba significent Ego te abluo, vel te baptizo. Asserit Clericatus cap: 115. num: 19. quem citat Felix Potestas Tom: 1. par: 3. cap: 3. de Materia & Forma Baptismi.

8. Q. *Quis est Minister Sacramenti Baptismi?*
R. Licet ex Officio, & ex vi Ordinis sit Presbyter & Diaconus, in casu tamen necessitatis quilibet homo compos rationis sive Mas sive Fæmina imo etiam Infidelis, si debitè adhibeat formam & materiam, habeatq; intentionem faciendi id, quod facit Ecclesia. Ita decrevit Innocentius III.

9. Q. *Quod est subjectum Baptismi?*
R. Omnis homo viator tam infans, quàm adultus, cum hoc tamen discrimine, quod in infantibus nulla requiritur dispositio, in adultis verò tres communiter præcedere debent. 1ma Consensus. Nullum enim DEUS omnino invitum vult familiæ

suæ adſcribi *2dò* Fides juxta illud *Matthæi 25* Docete omnes gentes, qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit. *3tia* Aliqua Pænitentia, ac diſplicentia peccatorum commiſſorum ut patet ex verbis Petri *Act:* 2. Pænitentiam agite, & baptizetur unusquisq; veſtrum in remiſſionem peccatorum. Idipſum præcipit Conc: Trident: Seſſ: 6. a. 6.

10. Q. *An monſtrum genitum ex Fœmina poteſt baptizari habens Caput ferinum cætera verò membra humana?*

R. Non eſſe prius baptizandum donec conſtet illud eſſe hominem dempto caſu mortis & tunc ſub conditione. Baptizandi ſunt ſub conditione infantes, qui cũ Materia & Forma dubia ſunt baptizati. Ita S. Tom: q. 66. art: 9 ad 4. Item rebaptizandi ſunt Infantes expoſiti cum ſchedulis collati Baptiſmi inter infideles propter fraudem & dolum infidelium, ad evitandum in re gravi periculum, videlicet amittendi ſalutem æternam. Ita Salmaticenſes cap: 6 puncto 4. num: 64. Item rebaptizandi ſunt Infantes baptizati ab Obſtetricibus Sagis. Ita Caſtro Palao. num: 7. Layman & alii. Item Infantes abrepti à Barbaris, ſi dubium, ſit, an ante ſuſceptum baptiſmum abducti. Ita Riedel Tract: 4. de Sacramentis num. 1150.

11. Q. *An extra necessitatem liceat domi baptizare sine Ceremoniis, & postea tempore Parentibus aut Patrinis opportuno in Ecclesia peragere Cæremonias?*

R. Cum Navarro. Multi per crassam ignorantiam id practicant, & maximè errant, quia extat Decretum Clemen: de Baptismo expresse prohibens baptizare extra Ecclesiam, nisi in necessitate, aut Principis Filium, vel ad evitandam matris infamiam, aut aliud grave incommodum.

12. Q *Quid sunt Patrini?*

R. Sunt ii, qui Infantem levant de Sacro Fonte (in defectu Parentum) in fide instruendum. Ita Trident: Sess: 24. cap: 4 de Reform: & hi contrahunt cognationem spiritualem levantes in Baptismo Solemni cum Cæremoniis siquidem de his tantū jura loquuntur. Ita Layman Tract: 8. part: 2. Dis: 1. art: 5. §. II. De Patrinis num. 4.

13. Q. *Qui excluduntur à munere Patrinorū?*

R. 1mò Parentes extra periculum. 2dò Non baptizati, pænitentes publici, moribus infames. 3tiò Apostatæ. 4tò Religiosi & Moniales. Ita Bulla Pii V.

14. Q. *Quæ Personæ contrahunt Cognationem Spiritualem in Baptismo?*

R. 1mò Baptizans cum Baptizato, Patre & Matre baptizati. 2dò Levantes cum

Levato, ejusq; Patre ac Matre. Non contrahit autem istam Cognationem, qui Procuratorio Nomine tantum levat Infantem; nec ille, qui tunc tenet, dum Cæremoniæ solum peraguntur, sed ille qui levat in solemni Baptismo unà cum Cæremoniis in Ecclesia. Ita Babenstuber Tract: 8. Part: 2. Disp: 1. art: 5. §. 11. num: 4. de Patrinis. Baptizans autem cum baptizato & ejus Parentibus semper contrahit Cognationē Spiritualem. Idem Author loco citato. Cognatio hæc inter istas solas Personas dirimit Matrimoniū.

15. Pater vel Mater non debent propriam Prolem levare, nec Avus vel Avia Nepotem, vel Neptem extra necessitatem, quia contraherent Cognationem Spiritualem, ob quam non possent petere debitum. Episcopus autē in tali impedimento potest dispensare, vel ab illo delegatus Clericatus. cap: 115. num: 61.

§. 4.

De Confirmatione.

1. Q. *Quid est Confirmatio?*

R. Est Sacramentum Novæ legis institutū à Christo Domino, quò homo Viator baptizatus per Chrismatis Unctionem in fron-

fronte factam ab Episcopo sub certa verborũ Forma, Fidei robur consequitur.

2. Q. *Quando hoc Sacramentum institutum est à Christo Domino?*

R. Inchoativè in nocte Cænæ Domini; ut habetur in C. Literis de Consecr: dist: 3. Completivè verò post Christi Resurrectionem, ubi Apostolis data fuit plena potestas Ordinis, Sacerdotalis & Episcopalis *Joannis 20.*

3. Q. *Quæ est Materia hujus Sacramenti Remota?*

R. Chrisma per Episcopum benedictum, ut constat ex Florent: & Trident: Sess: 7. can. 2. quod debet esse mixtũ ex Oleo & Balsamo. idq; de necessitate Sacramenti. Est ex Florent: in citato Decreto Fidei.

4. Q. *Quæ est Materia hujus Sacramenti Proxima?*

R. Est Unctio Chrismatis benedicti in fronte Confirmandi, in formam Crucis manu Episcopi facta. Ita Florent: sub Eugenio IV. in Decreto de Armen. Unde non est tutum, si fiat aliquo instrumento vg: penicillo, & in alia parte corporis, non in fronte. Ita Dyonisius. Cyrillus Hierosolimitanus, & Augustinus, quos citat Mazotta Tom: 3. tract: 5. de Sacram: Confirm: Disp: 3. cap: 1.

5. Q. *Quæ est Forma Sacramenti Confirmationis?* R. Si-

R. Signo te Signo Crucis, & confirmo te Chrismate Salutis in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti Amen. Constat ex Florent: in Decret: citato sub Eugenio IV. Omnia præter Amen sunt necessaria ad Valorem.

5. Q. *Quis est Minister hujus Sacramenti?*

R. Ordinarius Solus Episcopus. Extraordinarius autem ex Commissione solius Papæ potest esse simplex Sacerdos. Ita concessit Gregorius I. & pro Indis Gregorius XIII. Episcopi autem id facere non possunt.

7. Q. *Quando tenetur Episcopus illud ministrare?*

R. Si nulla impotentia tam physica quàm moralis excuset, tenetur intra decennium Diæcesim circumire, secus peccat graviter. Ita Mazotta ut supra loco citato cap: 2.

8. Q. *Quid requiritur ex parte Ministri hujus Sacramenti, ut licitè illud administret?*

R. 1mò Status Gratiæ. 2dò Ut Confirmandus sit subditus. 3tiò ut in propria Diæcesi hoc ministret Sacramentum, quia si in aliena Diæcesi sine licentia Ordinarii Loci confirmaret, peccaret graviter, & suspensionem ab exercitio Pontificalium incurreret. Ita Trident: Sess: 6. c. 5. de Reform: 4tò Ut sit jejunus, verum hoc

hoc non est de præcepto, sed de consilio; hinc si ingens numerus adsit confirmandorum, etiam non jejunus Episcopus potest hoc Sacramentum à prandio administrare. Ita La Croix num. 389.

9. Q. *Quod est subjectum Confirmationis?*

R. Est omnis homo baptizatus sive Infantes sint, sivè Adulti, sivè amentes perpetuo. Ita Mazotta loco citato supra cap. 3.

10. Q. *In quo statu debet esse tam Minister hujus Sacramenti quam suscipiens illud?*

R. Debent esse Ambo in statu Gratiæ, aut in ea poni saltem per Contritionem putatam.

11. Q. *Debentnè adhiberi Patrini?*

R. Debent, qui debent esse non tantùm baptizati, sed etiam Confirmati; & sufficit unus Mas vel femina, diversiq; à Patrinis Baptismi, qui contrahunt Cognationem Spiritualem cum Confirmato, Ejusq; Parentibus, inter quos etiam impedimentum dirimens intercedit futuri Matrimonii. Ut Clericatus num: 30. vel à num: 3005. usq; ad 3015. & patet ex C. non plures de Consecrat: dist: 4.

12. Q. *Qui sunt Effectus hujus Sacramenti?*

R. Tres. 1ma Gratia habitualis secunda. 2dò Character. 3tiò Gratia Sacramentalis ad fidem Christi corde retinendam,

&

& coram Tyranno ore formaliter confitendam.

13. Q. *Quare infligitur Alapa in Confirmatione?*

R. 1mò Ut sit paratus ad Alapas, & omnia adversa pro Christo subeunda. 2dò Ut Confirmationis suæ sit memor.

14. Q. *Quid significat Oleum & Balsamum Ex quibus conficitur hujus Sacramenti Materia?*

R. Oleum significat Conscientiæ nitorem, Balsamum verò significat bonæ famæ odorem. Ita Florent. sub Eugenio IV. in Decreto Fidei.

15. Q. *Qualiter debet esse dispositus Confirmandus?*

R. 1mò Debet habere Intentionem Adultus suscipiendi hoc Sacramentum. 2dò Debet habere Fidem, ut cum fructu suscipiatur. 3tiò Confessio præmittenda, si in mortali fuerit, vel Contritio perfecta.

16. Q. *Hoc Sacramentum poteſtnè iterari?*

R. Non. quia imprimit Characterem.

§. 5.

De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

1. Q. *Quid est Eucharistia?*

R. Est Sacramentum Corporis & Sangvinis Christi Domini sub speciebus Panis & Vini post Consecrationem veraciter contenti.

2. Q. *Quando institutum est hoc Sacramentum?*

R. Est institutum à Christo Domino in ultima Cæna pridiè quàm pateretur pro nostris peccatis. teste *S Matth. c. 26. Marco c. 24. & Luca 22.* Die 14 Lunæ vicinioris æquinoctio Verno, post lotionem pedum, Judâ præsente cum cæteris Apostolis.

3. Q. *Quotuplex est Materia hujus Sacramenti?*

R. Duplex. Remota, & Proxima. Remota est Panis triticeus aqua elementari confectus, & coctus, non verò ex hordeo, oriza, avena, millio, pisis, fabis, amigdalis, castaneis, aliisq; leguminibus, vel arborum fructibus confectus, quia hæc omnia distingvuntur specie à tritico. Et panis hic triticeus debet esse in Ecclesia latina Azymus, in Græca fermentatus. Et Vinum ex uvis expressum. Proxima verò materia sunt ipsæ species consecratæ, sub quibus continetur Corpus & Sangvis Christi Domini.

4. Q. *Quæ est Forma Eucharistiæ?*

R. Sicuti Materia Eucharistiæ est Duplex Panis scilicet, & Vinum, ita duplex est

For-

Forma, altera consecrativa Panis, altera Vini. Forma consecrativa Panis est hæc: *Hoc est Corpus meum*, Forma verò consecrativa Vini est hæc: *Hic est enim Calix Sanguinis mei novi & æterni &c.*

5. Q. *Quæ sunt verba de essentia Consecrationis?*

R. In Consecratione Panis: *Hoc est Corpus meum.* In Consecratione Vini: *Hic est Calix Sanguinis mei.* Ita Thomistæ juxta S. Thom: part: 3. quæst: 78. art: 1. ad 4. Reliqua verò verba sunt de præcepto Ecclesiæ.

6. Q. *Qualiter debent proferri verba Consecrationis?*

R. Dupliciter. Enuntiativè, & Significativè. 1mò modo proferuntur tunc, quando solum relativè enuntiantur, nihil iisdem affirmando vel negando. 2dò verò modo tunc proferuntur, quando intendit vg: Celebrans iisdem verbis aliquid asserere vel enuntiare, non verò ut ab alio prolata referre, & hoc utroq; modô proferuntur in Consecratione. Ita Reiffenstuel.

7. Q. *Quis est Minister Sacramenti Eucharistiæ?*

R. Consecrationis; Omnis Sacerdos. Collationis seu Administrationis; omnis ille, cui ex Officio, aut delegatione competit. Potest etiam Diaconus in necessitate gra-

vi diſpenſare Euchariſtiam Ita La Croix num: 480. quod tamen non eſt in uſu.

8\. Q. *Quid requiritur in Miniſtro ad licitam Euchariſtiæ diſpenſationem?*

R. Tria hæc: *1mò* Status Gratiæ. *2dò* Jurisdictio vel Privilegium. *3tiò* Ut ritu Eccleſiæ conſveto eam adminiſtret, videlicet; ut ſit indutus habitu decenti, ſacrisq; veſtibus. Indice ac Pollice dextræ manus. Ita Mazotta Tom: 3. tract: 5. de Sacram: cap: 3. §. II.

9\. Q. *Quod eſt ſubjectum receptivum Sacramenti Euchariſtiæ?*

R. Homo Chriſtianus poſt annos diſcretionis, incluſis ſurdis, mutis, & energumenis pollentibus ſufficienti ratione, exceptis verò infantibus ante uſum rationis, & perpetuô amentibus. Ita Mazotta loco citato. cap: 4. §. 1.

10\. Q. *Quotupliciter ſuſcipi poteſt Sacramentum Euchariſtiæ?*

R. Tripliciter. Sacramentaliter tantùm. *2dò* Spiritualiter tantùm. *3tiò* Sacramentaliter & Spiritualiter ſimul. *1mò* modô ſuſcipitur ab homine peccatore, qui eſt conſcius ſibi peccati mortalis, nihilominus ſuſcipit illud, quod Sacramentum cedit ipſi in judicium, ut ait Apoſtolus Paulus. *2dò* modô, nimirum Spiritualiter ſuſcipitur ab homine juſto habente

deſi-

desiderium suscipiendi hoc Sacramentum, qui licet Sacramentum non accipiat, suscipit, tamen effectum Sacramenti, videlicet Gratiæ augmentum. *3tiò* modô suscipitur ab homine justo, qui suscipit Sacramentum, & Sacramenti effectum simul, dignè accedens.

11. Q. *Qui & quod sunt Effectus Sacramenti Eucharistiæ?*

R. Sunt plures. Quorum 1. Gratia secunda. 2. Remissio Venialium. 3. Præservatio à mortalibus. 4 Diminutio fomitis peccati. 5. Unio nostræ carnis cum Christo.

12. Q. *Quando Eucharistia confert Gratiam?*

R. Quando species degluttuntur, ac ex ore traiiciuntur in stomachum.

13. Q. *Quare Laici non suscipiunt Eucharistiā sub utraq; specie, seu tantum sub specie Panis?*

R. Quia etiam tempore Apostolorum non dabatur Eucharistia sub speciebus Vini Fidelibus ut patet Actorum 2. & 20. ubi dicitur: Una Sabbati Fideles convenerunt ad fractionem panis nullam mentionem faciendo de Vino.

Nota *1mò* Eucharistia est simpliciter unum Sacramentum unitate integritatis, non indivisibilitatis.

Nota *2dò* Multiplicatur autem numero juxta mul-

multiplicationem ſpecierum conſecratarum.

Nota 3tiò Omnia Sex Sacramenta conſiſtunt in fieri, ſola Euchariſtia conſiſtit in facto eſſe, ſeu permanenter.

§. 6.

Euchariſtia, ut eſt Sacrificium.

1. Q. *Quotupliciter ſumitur Sacrificium?*

R. Dupliciter. Propriè & impropriè. Impropriè ſivè latè ſumitur pro omni opere, & dono meritorio, quod ad DEI cultum offertur, ut dicit S. Auguſtinus lib: 12. de Civitat: DEI cap: 16. Verum Sacrificium eſt omne opus bonum, quod agitur &c. Propriè verò & ſtrictè ſumitur pro certo Religionis actu, quô ſupremum DEI Cultum ſoli DEO debitum exhibemus, Dominiumq; perfectum in omnes Creaturas adoramus.

2. Q. *Quid eſt Sacrificium propriè ſive ſtrictè ſumptum?*

R. Eſt Oblatio externa rei ſenſibilis à legitimo Miniſtro ſoli DEO facta cum mutatione deſtructiva ipſius, ad profitendum ſummô modô ſupremum DEI Dominium, & noſtram ſubjectionem.

3. Q. *Quotuplex eſt Sacrificium?*

R. Triplex Aliud eſt ratione materiæ, aliud ratione formæ, aliud ratione finis.

4. Q. *Quotuplex eſt adhuc Sacrificium?*

R. Duplex Cruentum, in quo ſangvis funditur, & Incruentum, in quo ſangvis non effunditur. Cruentum Sacrificium peractum eſt tempore mortis Chriſti in Cruce, per actionem phyſicè deſtructivam Chriſti, nunc autem eſt incruentum, & fit per actionem moraliter tantum deſtructivam ejusdem. (*ſumpti?*

5. Q. *Quæ ſunt de Eſſentia Sacrificii propriè*

R. Hæc duo. 1mò Ut fiat in honorem DEI. 2dò Ut res oblata immutetur, vel deſtruatur prout fiebat in antiqua Lege.

6. Q. *Fueruntnè in Veteri Lege aliqua Sacrificia?*

R. Fuerunt ut patet ex Libro Levitico.

7. Q. *Quotuplicia erant hæc Sacrificia in veteri Lege?*

R. Triplicia. Alia erant ratione Materiæ, alia ratione Formæ, alia ratione Finis.

8. Q. *Quæ & quot erant Sacrificia ratione Materiæ?*

R. Victima, Immolatio & Libamen. Victimæ ſeu Hoſtiæ fiebant ex rebus animatis vg: Bobus, capris, vitulis, hædis, columbis. Immolationes fiebant ex rebus inanimatis, ſolidis tamen vg: farina, pane, ſale, tritico, thure &c. Libamina fi-

ebant

ebant ex rebus liquidis vg: Vino, oleo, aqua &c.

9. Q. *Quæ erant Sacrificia in Veteri Lege ratione Formæ?*

R. Holocaustum, Hostia pro peccato, Hostia pacifica. 1. Holocaustum erat, in quo id, quod offerebatur totum consumebatur per ignem. 2. Hostia pro peccato erat id, in quo illud, quod offerebatur partim per ignem, partim per Sacerdotem consumebatur. 3. Hostia pacifica erat tunc, quando id, quod offerebatur partim per ignem, partim per Sacerdotem, partim per eum, qui donabat, consumebatur.

10. Q. *Quæ erant Sacrificia in Veteri Lege ratione Finis?*

R. Sacrificium Latreuticum, Pacificum, & Propitiatorium. 1. Latreuticum erat, quod unicè in Cultum DEI, seu in recognitionem Supremi Dominii illius offerebatur. 2. Pacificum offerebatur DEO pro Beneficiis, & hoc si fuit pro beneficiis acceptis, vocabatur aliter Eucharisticum, si verò pro accipiendis, dicebatur Impetratorium. 3. Propitiatorium autem illud fuit, per quod offensus placabatur DEUS, & venia impetrabatur. Hæc autem omnia Sacrificia tam Legis Naturæ, quàm Mosaicæ coadunata sunt

in

in uno tremendo & Incruento Missæ Sacrificio. Trident Sess: 22. cap. 2. can: 3

11. Q. *Quæ est differentia inter Sacrificia Veteris Legis, & Sacrificium Missæ Novæ Legis?*

R. Quia illa causabant Gratiam ex opere Operantis seu Offerentis, Sacrificium autem Missæ Novæ Legis causat Gratiam ex opere Operato, videlicet ex Meritis Christi.

§. 7.

De Sacrificio Missæ.

1. Q. *Quid est Missa?*

R. Est Sacrificium Novæ Legis, in quo incruentè immolatur Christus.

2. Q. *Missa estnè propriè dictum Sacrificium?* Affirmativè cum Concil: Trident: Sess: 22. c. 1. contra Lutherum.

3. Q. *Missa quando? & à quo est instituta?*

R. A Christo Domino in Ultima Cæna, qui totam essentiam Missæ posuit in sola Consecratione. Alia autem ad Solemnitatem & Cæremonias spectantia à Summis Pontificibus addita sunt. Ita Fliegen in Tribun: Confess: cap: 14. de Ordinibus. §. IV. de Sacrificio Missæ.

4. Q. *Quæ sunt partes essentiales Sacrificii Missæ?*

R.

R. Tres. Confecratio, Oblatio, & Communio Ita multi DD. quos citat Pikulski parte 1. fect: 7. art: 2. de Sacrificio Missæ num: 8.

5. Q. *Quot sunt partes Integrales in Sacrificio Missæ?*

R. Quatuor. 1ma incipit ab Introitu ad Offertorium. 2da ab Offertorio ad Canonem, qui incipit ab his verbis: Te igitur &c usq; ad Communionem inclusivè. 3tia à Canone usq; ad Sumptionem. 4ta usq; ad finem.

6. Q. *Quæ est Materia Sacrificii Missæ?*

R. Minus principalis & transiens est panis & vinum. Principalis verò & permanens est Ipse Christus sub speciebus panis & vini contentus. Ita Trident. Sess: 22. c. 1. qualis autem debeat esse hæc Materia minùs principalis? dictum est superius §. V. num. 3.

7. Q. *Quo Jure adhibenda est aqua & vinum?*

R. Jure Ecclesiastico. Ita Trident: Sess: 22. c. 7. & hoc propter Mysterium effusionis aquæ cum Sangvine ex latere Christi, partim propter connotandam Unionem hominis cum DEO.

8. Q. *Quæ est Forma Consecrationis in Missæ Sacrificio?*

R. Verba Christi Domini in Ultima Cæna prolata: Hoc est Corpus meum.

Hic eſt Calix Sangvinis &c.

9. Q. *Quis eſt Miniſter Sacrifici Miſſæ ?*

R. Principalis eſt Chriſtus Dominus, qui etiam ſimul eſt res oblata. Miniſter verò minus principalis eſt ſolus Sacerdos celebrans.

10. Q. *Quotuplex eſt Fructus Sacrificii Miſſæ?*

R. Triplex. *1mus* ex parte Cauſalitatis. *2dus* ex parte Rei. *3tius* ex parte Participantium. Fructus ex parte Cauſalitatis eſt Unus ex opere Operato, alter ex opere Operantis. Fructus ex parte Rei eſt *1mò* Meritorius, qui eſt augmentum Gratiæ & Gloriæ conſequens ad meritum Offerentis exiſtentis in Statu Gratiæ, qui fructus totus eſt ex opere Operantis. *2dus* Satisfactorius, qui eſt remiſſio pœnæ temporalis pro peccatis jam remiſſis quo ad Culpam debitæ. *3tius* Impetratorius, qui eſt impetratio Bonorum Spiritualium ac temporalium. Hi duo fructus poſtremi poſſunt eſſe, tam ex opere operato, quàm Operantis. Fructus ex parte Participantium *1mus* Specialiſſimus, qui ſoli Celebranti applicatur. Ita multi DD. *2dus* Generaliſſimus, quem Eccleſia applicat omnibus Fidelibus tam Vivis quam Defunctis. *3tius* Specialis, qui competit illi, pro quo Miſſa offertur.

11. Q. *Valor Sacrificii Miſſæ eſtnè infinitus ?*

R. Ex

R. Ex opere Oparato, seu quo ad sufficientiam ex Meritis Christi est infinitus; ex opere autem Operantis, id est quo ad effectum & applicationem est finitus. Ita D. Thom: quæst: 79. art: 9.

12\. Q. *Pro quibus potest offeri Sacrificium Missæ?*

R. Pro omnibus Fidelibus vivis & Defunctis scilicet Animabus in Purgatorio existentibus. Ita Trident: Sess: 22. de Sac. Missæ cap: 2. Non tamen pro Damnatis, Excommunicatis Excommunicatione majori, Infidelibus, Cathechumenis, & aliis, qui sunt extra Ecclesiam, ut prohibitum est in Concil. Arausic: c. 20.

13\. Q. *Requiriturnè in Sacerdote Intentio applicandi fructum Missæ?*

R. Requiritur. Ita CC. DD. & hæc sufficit non tantum Virtualis, sed etiam Habitualis.

14\. Q. *Quo in loco Sacrificium est celebrandum?*

R. Sacrificii locus immediatus est Altare, mediatus est Ecclesia, seu Oratorium & ex necessitate aliquando etiam alius locus profanus. Ita Mazotti Tom: 3. Tract. 5. de loco Sacrificii cap: 3.

15\. Q. *Quale debet esse Altare?*

R. Fixum vel Mobile, seu portatile, quod debet esse consecratum ab Episcopo lapi-

deum, unum, ob unitatem Personæ Christi significandam, ut capiat Calicem & Patenam.

16. Q *Qualis debeat esse Ecclesia vel Oratorium?*

R. Consecrata ab Episcopo, vel saltem benedicta de licentia illius (in polluta autem, execrata, vel interdicta Ecclesia, vel Oratorio Sacrificium Missæ celebrari non potest.

17. Q *Quot modis polluitur seu violatur Ecclesia?*

R. Quatuor. *1mò* per homicidium. *2dò* per effusionem Sangvinis *3tiò* per effusionem seminis *4tò* per sepulturam Excommunicati vitandi, aut infidelis.

18 Q *In Oratoriis privatis vg: Nobilium de licentia Sedis Apostolicæ, vel Episcopi, potestnè Sacerdos celebrare Sacrificium Missæ?*

R. Potest, idq; solum unum juxta Indultum ex Decreto Clementis XI. Die 15. Decembris 703 exceptis Festis in Privilegio Expressiis, iisq; præsentibus, quibus concessum est hoc Privilegium, vel saltem unô eorum præsente. Ita declaravit Benedictus XIV. die 7 Januarii 1741 per literam Encyclicam incip: Cum duo Nobiles.

19. Q. *Licetnè aliquando celebrare Sacrificiũ Missæ in loco profano?* R.

R. Non licere, ex mente Trident: Seff: 22. Decreto de Celebr: Miff: quod etiam Clemens XI. prohibuit. puta ſine gravi neceſſitate; ſi verò gravis poſtulaverit neceſſitas vg: propter Infirmum vel Viaticum &c. poteſt Epiſcopus diſpenſare, ut in tali loco aliquoties tantùm celebretur. Ita Mazotti loco ſupra citato.

§ 8.

De Extrema Unctione.

1. Q. *Quid eſt Extrema Unctio?*

R. Eſt Sacramentum Novæ Legis conſtans Unctione Olei Sacri, & Sacerdotis deprecatione ordinatum ad ſalutem moribundi, quo ad animam & Corpus.

2. Q. *Quis inſtituit, & quando hoc Sacramentum?*

R. Chriſtus Dominus, quando miſit Diſcipulos, ut curarent infirmos ungentes eos Oleo. Promulgatum verò fuit à D. Jacobo Apoſt: cap: 5. vers. 14.

3. Q. *Quæ eſt Materia remota Extremæ Unctionis?*

R. Oleum olivarum ab Epiſcopo benedictũ.

4. Q. *Quæ eſt Materia proxima?*

R. Unctio certarum partium Corporis Infirmi in modum Crucis. *1mò* ad Oculos *2dò*

ad

ad Aures. *3tiò* ad Nares. *4tò* ad Os compressis labiis. *5tò* ad Manus. *6tò* ad Pedes *7mò* ad Lumbos. Unctio renum in fœminis omittitur

5. Q. *Quæ est Forma hujus Sacramenti?*
R. Sunt verba à Sacerdote prolata: Per istam Sanctam Unctionem &c.

6. Q. *Quis est Minister hujus Sacramenti?*
R. Sacerdos, & quidem proprius Parochus, de ejus tamen licentia, aut in extrema necessitate quilibet Sacerdos ut patet in Clementina I. *Nota* Religiosi ægrotum ungentes minimè à Parocho petitâ veniâ, præter gravis culpæ reatum, in Excommunicationem incidunt Apostolicæ Sedi reservatam In Clementina I. de Privileg: & Benedictus XIV.

7. Q. *Quod est subjectum capax Extremæ Unctionis?*
R. Homo baptizatus capax peccati, periculosè infirmus Unde Sacramentum non est administrandum Navigantibus esto in periculo, militibus bellum aggressuris, damnatis ad mortem parturientibus usum rationis non habentibus, perpetuo amentibus. Ita Felix Potestas Tom: 1. part: 4 cap: 11. num. 3919.

8. Q. *Qui sunt effectus hujus Sacramenti?*
R. *1mus* Remissio finalis Venialium. *2dus* Robur animæ contra tentationes dæmonis

in

in articulo mortis. 3tius Sanitas Corporis, si expediat.

9. Q. *Hoc Sacramentum estne iterabile?*

R. Est in diuturnis morbis toties est conferendum, quoties adest novum periculum.

10. Q. *Obligatnè Infirmum sub gravi præcepto hoc Sacramentum ad suscipiendum illud?*

R. Si non adsit comtemptus vel scandalum non obligat sub gravi, cum non sit Sacramentum necessitatis, sed utilitatis, nullibiq; constat de tali præcepto. Ita Mastrius, quē citat Potestas. Exam:Confess: Tom: 1. Part: 6. num. 3922.

§. 9.

De Sacramento Ordinis.

1. Q. *Quid est Ordo?*

R. Est Sacramentum Novæ Legis, quô traditur potestas circa Eucharistiam ritè administrandam vel secundum S. Thom: q. 34. art: 2. Est quoddam signaculum, quo spiritualis potestas traditur Ordinato exercendi ministerium Ecclesiasticum, simulq; Gratia sanctificans ad illud rite obeundum.

2. Q. *A quo? & quando institutum est hoc Sacramentum?*

R. A

R. A Christo Domino in Ultima Cæna, ut asserit Trident: Sess: 22. c. 1. & can: 2. Tunc quippe Christus utens potestate Excelentiæ Apostolis contulit Præsbyteratum dicens: hoc facite in meam commemorationem. *Lucæ 22* sub quo eminenter alii continentur Ordines.

3. Q. *Quæ & quotuplex est Materia cujuscunq; Ordinis?*

R. Duplex Una Remota, quæ sunt res ipsæ ab Episcopo porrectæ Ordinando v. g. Liber in Ordinatione Lectoris. Altera Proxima, quæ est traditio materiæ remotæ, & acceptatio ejusdem.

4. Q. *Quæ est Forma hujus Sacramenti?*

R. Verba ab Episcopo prolata in traditione materiæ.

5. Q *Quis est Minister hujus Sacramenti?*

R Ordinarius est Episcopus legitimè consecratus, qui *1mò* debet esse proprius Ordinandi, aut ratione Originis, vel Domicilii, vel Beneficii, aut etiam triennalis commensalitatis cum Episcopo. *2dò* Ut sit immunis ab omni Censura. *3tiò* Ut sit in Gratia. *4tò* Ut habeat intentionem ordinandi. Extraordinarius verò Minister ex speciali Privilegio, vel delegatione Summi Pontificis potest esse non solùm Abbas respectu suorum Religiosorum, sed etiam simplex Sacerdos

quo

quo ad primam Tonſuram & quatuor Minores. Majores verò Ordines à ſolo Epiſcopo conferri poſſunt & debent. Ita Trident: Seſſ: 23 cap: 10.

6. Q. *Quod eſt ſubjectum Sacramenti Ordinis?*

R. Omnis & ſolus Maſculus Viator, baptizatus Baptiſmo fluminis, quod eſt janua omnium Sacramentorum, confirmatus, ac habens intentionem Sacros ſuſcipiendi Ordines. Ita P. Mezger Tract: 19 diſt: 41 art: 2. num. 6. Non ſunt capaces hujus Sacramenti Ordinis Fæminæ, etſi Sanctiſſimæ vitæ, neq; Hermaphroditi, etiamſi prævaleret ſexus virilis in ipſis, quia ſunt irregulares. Ita Wigant in Tribunal: Confeſſ: quem citat Fliegen: cap: 13 de Sacris Ordinibus.

7. Q. *Quot ſunt? & qui Effectus Sacramenti Ordinis?*

R. Intrinſeci ſunt Duo, Gratia & Character. Extrinſeci favorabiles ſunt Duo, *1mus* Aptitudo ad Beneficia. *2dus* Privilegium Fori & Canonis. Extriſeci quoq; oneroſi ſunt Tres *1mus* Obligatio geſtandi Tanſuram & Habitum Clericalem, *2dus* Servandi Caſtitatem ex jure Eccleſiaſtico. *3tius* Recitandi Horas Canonicas. In hac materia fuſius tractavimus Libro 1. ubi de ſingulis Ordinibus.

§. 10.

§. 10.

De Sacramento Pænitentiæ.

1. Q. *Quotupliciter sumitur Pænitentia?*
R. Dupliciter. Ut Virtus, & ut Sacramentum.

2. Q. *Quid est Pænitentia ut Virtus?*
R. Est dolor de peccatis cum proposito amplius non peccandi.

3. Q. *Quid est Pænitentia ut Sacramentum?*
R. Est Sacramentum Novæ Legis à Christo Domino institutum ad remissionem peccatorum post Baptismum commissorum. Vel secundum D. Thom. Est Sacramentum reconciliationis post lapsum in actibus pænitentis, & absolutione Sacerdotis consistens.

4. Q. *A quo? & quado est institutum hoc Sacramentum Pænitentiæ?*
R. A Christo Domino inchoativè quando promisit *Matth:* 18. Discipulis suis dare potestatem absolvendi vel ligandi. Completivè verò post Resurrectionem suam, quando insufflavit in Apostolos dicens: Accipite Spiritum Sanctum quorum remiseritis peccata, remittentur eis &c. *Joannis* 20.

5. Q. *Quomodo institum est hoc Sacramentū?*
R. Per modum Judicii, seu Tribunalis, in

quo

quo pænitens est simul Reus, & Accusator. Sacerdos autem est Judex, qui pænitenti absolutionem dat vel denegat. Ita Trident: Seff: 14. Can: 3 & 7.

6. Q. *Quomodo hoc Sacramentum est necessarium hominibus lapsis in peccatum mortale post Baptismum?*

R. Est necessarium necessitate medii & præcepti. Ita Trident: Seff: 14. cap: 2.

7. Q. *Qui sunt effectus hujus Sacramenti?*

R. *1mus* Remissio peccatorum tam mortalium, quam venialium. *2dus* Gratia prima vel secunda. *3tius* Gratia Sacramentalis. *4tus* Commutatio pænæ æternæ in temporalem. *5tus* his additur Reviviscentia meritorum per peccatum mortale mortificatorum.

8. Q. *Quæ? & quot sunt partes Sacramenti Pænitentiæ?*

R. Tres. Materia, Forma, & Satisfactio. Duæ priores sunt Essentiales, tertia verò Integralis.

9. Q. *Quæ est Materia, & qualis hujus Sacramenti?*

R. Remota; sunt peccata post Baptismum commissa. Proxima; sunt actus pænitentis, scilicet contritio, Confessio, & Satisfactio.

10. Q. *Quotuplex est Materia Remota?*

R. Duplex. Necessaria; & hæc sunt pec-

cata

cata mortalia nondum confessa, ac remissa. & Sufficiens. & hæc sunt peccata venialia, vel motralia jam confessa. His addi potest tertia materia remota. nempe materia necessaria, sed non sufficiens & sunt peccata mortalia dubia, quæ dicuntur ideo materia necessaria, quia sunt necessariò in Confessione aperienda; non sunt verò sufficientia, quia sola sine additione materiæ certæ non sufficiunt ad obtinendam Sacramentalem Absolutionem

11. Q. *Quæ est Forma Sacramenti Pœnitentiæ?*

R. Forma ordinaria Absolutionis de præcepto extra periculum est hæc: Ego te absolvo à peccatis tuis in Nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti Amen. quæ verba cadere debent in præsentem, non verò in absentem. Ita Clemens VIII urgente verò periculo mortis valida est & licita absolutio in hunc modum data: Ego te absolvo ob omnibus Censuris & peccatis in Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti Amen. Ita Felix Potestas Exam: Confess: Tom: 1. p. 4. c. 4. de Pænitent: n. 3057.

12. Q. *Quomodo Forma est proferenda à Ministro Pœnitentiæ?*

R. Supra Materiam certam debet proferri absolutè, per modum sententiæ judicialis,

non

non verò deprecativè, ut vg: Absolvat te DEUS, quia hoc Sacramentum institutũ est per modum Judicii, & Sacerdos nomine DEI absolvit. juxta: Quorum remiseritis &c. Tunc igitur Forma proferenda est absolutè quando nullum est dubium de valore Sacramenti. Ità la Croix lib: 6. p 2. n 1769. Quando verò est dubium circa valorem Sacramenti vel dispositionem Pænitentis, quod intelligendùm est de pueris, rudibus, inhabituatis, & moribundis, danda est Absolutio sub conditione. Ita P. Pikulski Part: 2. sect: 2. art: 4. de Forma Absolut Qui verò sine justa causa profert absolutionẽ Conditionatam peccat mortaliter, Idem locô citatô, à quo tamen reatu liberum judicat Confessarium perplexum propter tollendum scrupulum & pacificandam conscientiam. Idem Pikulski.

§. 11.

De Contritione.

Q. *Quid est Contritio?*

R. Juxta Trident: Sess: 14. c. 4. Est animi dolor, ac detestatio peccatorum, cum proposito non peccandi de cætero.

Q. *Quotuplex est Contritio?*

R. Du-

R. Duplex Perfecta & Imperfecta. Contritio perfecta, est dolor de peccatis, quatenus sunt offensa DEI summè dilecti, & super omnia. Contritio imperfecta, est dolor de peccatis propter turpitudinē peccati, aut timorem inferni, vel alterius mali & vocatur Attritio.

3. Q. *Quo differunt inter se Contritio ab Attritione seu Contritio perfecta ab imperfecta? & in quo conveniunt prout sunt dispositiones ad justificationem?*

R. Conveniunt in hoc 1mò Quod utraq; versatur circa peccatum detestando illud ut est offensa DEI 2dò Quod utraq; excludat voluntatem peccandi 3tiò Quod utraq; sit supernaturalis, non elicita ex solis naturæ viribus, sed ex auxilio Gratiæ Divinæ. Ita Trident: Sess: 6 can: de Justificat. 4tò Quod utraq; sit regulata per fidem Divinam. & ex motivo revelato Ecclesiæ Catholicæ à DEO. In hoc verò differunt inter se 1mò Quod Contritio est dolor de peccato procedens ex sua natura, ex motivo charitatis; ut quia DEUS infinitū est bonum summè dilectū, attritiò verò est dolor de peccato procedens ex imperfectiori motivo, vg: ex timore penarū inferni, vel amissionis Beatitudinis, aut ex turpitudine peccati. 2dò Quod Contritio est dispositio sufficiens ad justi-

justificationẽ extra Sacramentũ Pænitentiæ, in voto tamen Sacramenti cum proposito nimirũ subiiciendi peccata Clavibus. Attritio verò per se sola non sufficit extra Sacramentum in re susceptum, cum sit dispositio solùm ad justificationem in Sacramento obtinendam, juxta Trident: Seff: 14. cap: 4. ubi, & quamvis sine Sacramento Pænitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorẽ nequeat, tamen eum ad DEI Gratiam in Sacramento Pænitentiæ impetrandam disponit. Ita CC. DD. quos citat Mattheuci Lib: 2. cap: 31. num. 11.

4. Q. *Qualis debet esse dolor in Contritione perfecta?*

R. Juxta Trident: Seff: 14. cap. 4. *1mò* debet esse supernaturalis, hoc est ex motivo Supernaturali procedens. *2dò* Universalis, ad omnia extendens se peccata. *3tiò* Formalis, ut excludatur Contritio existimata, quæ non sufficit. *4tò* Efficax, ut excludat voluntatem peccandi, & includat propositum efficax emendationis.

5. Q. *Quando quis obligatur ad eliciendum actum Contritionis?*

R. *1mò* Per se in articulo mortis certò & verò, vel præsumpto. *2dò* In morali periculo vitæ. Per accidens verò obligatur

gatur homo ad Contritionem *1mò* Si exurgat gravis tentatio, quæ vinci non poteſt niſi per Contritionem. *2dò* Quando quis exiſtimat etiam erroneè ſe ad eam teneri. *3tiò* In valde gravi & communi neceſſitate Reipublicæ, quæ præſumitur immitti à DEO ob peccata hominum. *4tò* Dum currit præceptum Annuæ Confeſſionis, & non eſt copia Confeſſarii. *5tò* Dum quis debet celebrare, vel adminiſtrare, aut unum ex quinq; Sacramentis Vivorum recipere.

§. 12.

De Confeſſione.

1. Q. *Quid eſt Confeſſio?*

R. Eſt accuſatio de propriis peccatis facta coram Sacerdote legitimo ad eorum remiſſionem obtinendam per abſolutionem.

2. Q. *Quot ſunt Conditiones, bonæ Confeſſionis?*

R. Sexdecim his verſibus comprehenſæ:

Sit ſimplex, humilis Confeſſio pura fidelis,
Atq; frequens, nuda, diſcreta, libens, verecunda.
Integra, ſecreta, lacrimabilis, accelerata,
Fortis & accuſans, & ſit parere parata.

Explicantur ſingulæ conditiones claritatis gratiâ.

1mô Simplex. Veritatem aperiens, sine historiarũ & impertinentium admixtione.
2. Humilis aperto capite, & flexis genibus, sine audacia & jactantia.
3. Pura cum animi puritate, & intentione consequendi remissionem peccatorum, per Sacramentum Pænitentiæ, non verò ob vanam gloriam.
4. Fidelis. referendo certa peccata pro certis. dubia pro dubiis.
5. Frequens. ut frequenter quis confiteatur, non ex Præcepto consilio sed ex devotione.
6. Nuda ut non sit verborum fuco ornata. aut palliata, ut Confessarius intelligat & judicet, an mortalia vel venialia sint.
7. Discreta. id est prudens & cauta præsertim in explicandis peccatis carnalibus.
8. Libens. ut spontè dicat peccata, & non ex metu vel importunis precibus &c.
9. Verecunda. cum pudore & erubescentia proprii peccati, imputando sibi culpam, & non aliis.
10. Integra. formaliter & materialiter, ita exponatur omnis materia necessaria; quod si verò fieri nequit, sit integra saltem formaliter, ita ut exponatur quod sufficit ad valorem & fructum Sacramenti: de hac infra.
11. Secreta. ut sit ad aurem solius Confessarii, erit tamen valida, & Sacramentalis,

si fiat per interpretem, vel aliis etiam audientibus.

12. Lachrymabilis. cum interiore dolore Cordis, aliquo signo externo manifestato vg: tunsione pectoris.

13. Accelerata. ut commisso peccato Confessio non diu differatur, hoc tamen non est præcepti, sed consilii.

14. Fortis cum animi constantia, ne ob pudorem, aut timorem aliquod peccatum mortale omittat.

15. Accusans. ut fiat per modum accusationis sine excusatione.

16. Parere parata. videlicet cum animo pænitentiam à Confessario acceptandi, & acquiescendi consiliis Ejus.

Harum autem 16. Conditionū juxta S. Thomam in supplem. quæst: 9. art 4. tres esse maximè necessarias 1mò Ut sit Fidelis. 2dò Integra. 3tiò Ut sit Dolorosa.

3. Q. *Debetne præmitti Examen? & quale ante Confessionem peragendam?*

R. Debet Diligentia autem in examinando Conscientiam non debet esse summa, & scrupulosa, sed debet esse mediocris, & humana, qualem homo prudens in rebus magni momenti solet adhibere. Ita Felix Potestas Tom: 1. Exam. Confess: part: 4. cap: 4. de Pænitentia.

4. Q. *Quotuplex est integritas Confessionis?*

R. Du-

R. Duplex. Materialis & Formalis. Materialis est quando pænitens omnia peccata mortalia secundum speciem, & numerum confitetur, nullô prorsus omissô. Formalis verò est, quando pænitens omnia peccata confitetur, factô diligenti examine, quantum potest, & tenetur hic & nunc, reservatis aliquibus in aliud tempus confitendi, cessante impedimento, vel necessitate anteriori. Per se igitur loquendo, Confessio debet esse materialiter integra, ut patet ex Officio Judicis, qui probè cognitâ causâ, potest ferre sententiam legitimè Et Officio Medici, qui non potest mederi, nisi totam infirmi habitudinem cognoscant Per accidens verò ob impotentiam physicam vel moralem sufficit integritas formalis.

5. Q. *Quæ Conditiones debent concurrere, ut Confessio integra Formalis sit valida & licita?*

R. 1ma Ut ex una parte adsit necessitas, aut præceptum celebrandi, àut communicandi. 2da Impotentia confitendi & communicandi aut physica aut moralis.

6. Q. *Quæ sunt generales Causæ excusantes Pœnitentem ab integritate materiali peccatorum?*

R. Sunt tres, juxta sententiam Causuistarum. 1ma Ignorantia sive oblivio incul-

pabilis. *2da* Impotentia physica vel moralis. *3tia* Grave damnum imminens pænitenti, vel Confessario.

7. Q. *In quibus casibus licita est Confessio integra formaliter ?*

R. *1mò* Si homo mutus, surdus, balbutientis linguæ, vel ignoti Idiomatis non possit omnia peccata sua explicare. *2dò* Si pænitens sit in articulo mortis, vel intra Confessionem amiserit loquelam.. *3tiò* Si pænitens fundatè t meat fractionem sigilli, Sigilli enim obligatio est strictior, ut pote juris naturalis. *4tò* Si peccatum aliquod omittatur vel ex ignorantia invincibili vel oblivione inculpata. *5tò* Si Confessarius timeat infectionem morbi lethalis, audiendo integrã Confessionem vg: tempore pestis, quo casu privarentur alii Pastore suo. *6to* Si peccatum non possit manifestari, nisi manifestando complicẽ, cui ex manifestatione imminet grave damnum. Cum sit multũ favorabilis sententia a peccantibus sitquè contraria SS. Patribus uti S. Bernardus de forma honestæ vitæ S. Thæ. Bonaventuræ, Antonino, & Cæteri imo Constitutionibus SS. D Benedictus XIV. proinde non debet sustineri. Legatur Antoninus. *7mo* Si duo infirmi in eodem lecto jaceant, si sit parturiens fæmina. *8vo* Instante tempore Belli & Naufragii.

8. Q.

8. Q. *Magnus concursus Populi in die dulgentiæ vel Festivitatis, an excusat ab integritate materiali Confessionis?*

R. Non. Contraria enim Sententia damnata est ab Innocentio XI.

§. 13.

De Satisfactione.

1. Q. *Quid est Satisfactio?*

R. Juxta Trident: Sess: 14. cap: 8. Est actio, per quam in Sacramento Pænitentiæ retribuimus DEO recompensationem aliquam pro peccato juxta sententiam Judicis.

2. Q. *Quotuplex est Satisfactio?*

R. Duplex. Una in re, quæ est ipsum opus à Confessario injunctũ. Altera in voto, seu in proposito pænitentis, quô vult obligationẽ seu executionẽ pænitentiæ impositæ à Confessario adimplere. Satisfactio igitur in Voto est pars essentialis Sacramenti pænitentiæ tenens se ex parte materiæ proximæ, in re autem, seu in executione est pars integralis?

3. Q. *Quotuplex est adhuc Satisfactio?*

R. Duplex. Pænalis seu vindicativa culpæ præteritæ, & medicinalis, seu præservativa à culpa futura, hæc autem satisfactio

potest

poteſt fieri per Bona Corporis vg: Jejunia, flagella, Peregrinationes. Vel per Bona Animæ vg: Orationes, Miſſas, Eleemoſinas &c.

4. Q. *Qualis pænitentia eſt injungenda à Confeſſario pænitenti?*

R. Juxta Trident: Seſſ: 14. cap: 5. Confeſſarius cum ſit Judex & Medicus, debet proportionatam delictis aſſignare pænitentiam, tum in punitionem præteritorum peccatorum, tum in medelam futurorum. Clarius de hac re idem Trident: ait c. 8. Debent Sacerdotes ſalutares & convenientes ſatisfactiones injungere. Notent hoc Confeſſarii, qui pro graviſſimis delictis nonniſi quinq; Pater & Ave, vel unius recitationem aſſignant. Habenda ergo eis erit juxta Rituale Romanum Titulo de modo adminiſtrandi Sacramentū Pænitentiæ, ratio ſtatûs, Conditionis, Sexus ætatis, & diſpoſitionis pænitentis, & quantum poterit contrarias peccatis pænitentias injungat vg: Avaris eleemoſinam, libidinoſis jejunia, vel alias carnis mortificationes. Cavendum tamen Confeſſario, ne ſe aut nimis auſterum, aut laxum in aſſignando pænitentiæ exhibeat, præſtat tamen animam cum parva pænitentia impleta mittere ad Purgatorium, quam cum magna non impleta, nec implen-

plenda præcipitare in infernum.

5. Q. *Quando pænitentia est adimplenda? & per quem?*

R. Tempore à Confessario præfixo. Si autem nullum determinatum præfixerit, adimplenda est prima oportunitate. Jam autem debet persolvi per ipsum pænitentem, cum sit personalis obligatio, ut vg: Oratio, Jejunium &c.

6. Q. *Satisfactio injuncta ab uno Confessario potestne mutari aut tolli ab alio?*

R. Affirmativè si sequentes adsint Conditiones. *1ma* Ut fiat justa de causa. *2dò* Ut fiat in Tribunali pænitentiæ, quia hujusmodi commutatio est actus Jurisdictionis Clavium. *3tia* Ut auditis peccatis saltem in confuso, ob quæ satisfactio, fuerat à priori Confessario imposita, siquidem Judex nequit judicare causam incognitam.

§. 14.

De Ministro Sacramenti Pænitentiæ.

1. Q. *Quis est Minister Sacramenti Pænitentiæ?*

R. Solus Sacerdos ritè ordinatus, & ab Episcopo approbatus ad Confessiones audiendas.

2. Q.

2. Q. *Quod est Officium Confessarii?*

R. Est pænitentem audire, ac disponere, & dispositum injuncta salutari pænitentiâ obsolvere.

3. Q. *Quotuplex est Ejus Officium?*

R. Tripelx. Scilicet: Judicis, Doctoris, & Medici. Ut Judex debet discernere inter lepram & lepram, id est inter species peccatorum, eorum cirmumstantias, numerum, ac peccata reservata, deniq; sententiam ferre. Ut Doctor debet pænitentem docere neqessaria necessitate medii, & præcepti, aliaq; ad Sacramentum Pænitentiæ & Eucharistiæ necessaria. Ut Medicus debet pænitenti præscribere salutarem medicinam, & antidota, dare peccatorum.

4. Q. *Quid requiritur ex parte Ministri, ut validè absolvat?*

R. Tria, 1*mum* Ut sit Sacerdos, seu ut habeat potestatem Ordinis. 2*dum* Ut habeat potestatem Jurisdictionis, seu Jus in subditos ad exercendam potestatem absolvendi, quam ex vi Ordinis habet. 3*tium* Ut sciat Formam, & eam ore proferat; cum intentione faciendi id, quod facit Ecclesia.

5. Q. *Quotuplex est Jurisdictio?*

R. Triplex. Ordinaria, Delegata, & ex concessione Juris. Ordinaria est, quæ alicui

alicui competit ex proprio Officio, seu munere suo, & talem habet Pontifex respectu omnium Fidelium Christi, Episcopus pro tota Diœcesi, Prælati Regulares vg: Generales pro suis Ordinibus, Provinciales pro suis provinciis. Delegata est, quæ habetur ex commissione alterius habentis Ordinariam. Ex concessione juris, competit habentibus jus, vel Privilegium eligendi pro se Confessarium non approbatum. Tales sunt Cardinales Episcopi. Item Prælati Religionū, Generales, Provinciales, Commissarii, Visitatores, Superiores, locales, & Procuratores Curiæ Romanæ. Ita Melphi in Compend: cap: 7. stat: 1. quæst: 1. & 7. quem citat Felix Potestas. Exam: Conf: ff: Tom: 1. Part: 4. cap: 5. de Ministro Pænitentiæ.

6. Q. *Quibus Qualitatibus præditus debet esse Confessarius?*

R. Tribus specialiter: Puritate mentis, ne dum alios mundat, ipse sordescat. *2dò* Prudentiâ singulari & intelligentiâ quibus posset naturam, mores, inclinationesq; ad malum perscrutari, eisq; obviare. *3tiò* Scientiâ sufficienti, ne seipsum, aut pænitentes periculo gravi erroris exponat.

7. Q. *Quotuplex est Scientia?*

R. Triplex. Eminens, quam habens, potest difficillimos casus sine lectione librorum

rum resolvere. Mediocris, quâ præditus revolvendo libros, etiam ad difficiles casus respondere potest. Sufficiens est ea, quam habens Confessarius, sufficit ea intelligere & explicare quæ sunt sui Officii. In Confessario itaq; sufficit Scientia Mediocris, hoc est, ut sciat: *1mò* quæ pertinent ad seipsum, videlicet, quam habet potestatem? in quos pænitentes? ad quæ peccata? ad quos Casus, & Censuras? & quæ sit Forma absolutionis. Quare debet scire saltem in confuso, quot sunt Casus, & Censuræ, a quibus ob reservationem nequit absolvere. *2dò* Scire debet, quæ pertinent ad pænitentem, quò scilicet examine, dolore, ac proposito debeat esse dispositus? quâ integritate Confessionem instituere debeat? quam pænitentiam pro qualitate peccatorum, & personæ subire debeat? *3tiò* Scire debet, quæ pertinent ad ipsa peccata, quænam scilicet habeant onus restitutionis? aut satisfactionis parti? denuntiationis? aut alterius obligationis? Quænam sint ex se mortalia? quæ venialia? unde discerni possint species? eorũ & circumstantiæ mutantes speciem, aggravantes &c.

§. 15.

§. 15.

De Sigillo.

1\. Q. *Quid eſt Sigillum?*

R. Eſt obligatio ſervandi ſecretum in omnibus, quæ in ordine ad Abſolutionem Sacramentalem Confeſſario aperiuntur.

2\. Q. *Quo Jure tenetur Confeſſarius ad ſervandum Sacramentale Sigillum?*

R. Triplici. *1mò* Jure Naturæ, quia de jure Naturæ eſt ſervare ſecretum ſibi commiſſum. *2dò* Jure Divino, & humano ſeu Eccleſiaſtico.

3\. Q. *Quæ cadunt ſub Sigillum?*

R. Omnia peccata pænitentis tam ficta, quàm vera. *2dò* Pænitentia ſi gravis ſit. *3tiò* Virtutes aut defectus naturales pænitentis, aut corporis occulta vitia ſcrupuli. *4tò* Omnis actio vel factum quodcunq; ruborem aut moleſtiam pænitenti cauſans, ſi advertat id ex notitia Confeſſionis procedere. Ita Fagnanus Lugo Reiſſenſztul Tract: 14. diſt: 9. quæſt. 3. a. num. 21.

4\. Q. *Qui obligantur ad Sigillum ſervandum?*

R. *1mò* Confeſſarius, qui tam arctè obligatur ad Sigillum ſervandum Sacramentalis ſecreti, ut in nullo caſu, etiamſi ſalus propriæ vitæ imo totius mundi inde penderet,

deret, liceat illud frangere, five directè five indirectè. 2dò Omnis ille, qui licitè, vel illicitè mediatè vel immediatè audit aliquod peccatum five fit interpres, five Chartam peccatorum legens, five adftans &c.

5. Q. *Debetnē pœnitens complicem peccati manifeftare coram Confeffario fi aliter non poffit explicare peccatum?*

R. Variæ Sententiæ funt in hoc cafu DD. Proinde melius facit pænitens fi confiteatur coram Confeffario non habente notitiam complicis.

6. Q. *Sacerdos violans Sigillum Confeffionis quot peccata committit?*

R. Tria. 1mò Committit peccatum detractionis infamando proximum. 2dò peccatum infidelitatis non fervando Secretum in re graviffima. 3tiò committit Sacrilegium faciendo contra reverentiam Sacramenti & Religionis.

7. Q. *Quas pœnas incurrit Confeffarius revelando audita in Confeffione Sacramentali?*

R. Depofitionē, intrufionem in Monafteriū ad carceres perpetuos, ad triremes. Fit infamis & fubinde irregularis fecutâ Judicis fententiâ. Ita Majolus.

Nota Circa Sigillum Sacramentale, & audita in Confeffione fint cauti Confeffarii, ut cum fuis pænitentibus raro converfentur,

pau-

pauca loquantur, ne aliquomodo in multiloquio frangatur Sigillum. Narrata in Confessione non referant præsentibus Sæcularibus, ne loco ædificationis dent eis scandalum, per quod odiosum redderetur Sacramentum Pœnitentiæ, aut etiam vilipensum.

§. 16.

De Reservatione Casuum.

1. Q. *Quid est Reservatio?*
R. Est restrictio Jurisdictionis concessæ Sacerdoti inferiori in ordine ad aliquod peccatum.

2. Q. *Quid est Casus reservatus?*
R. Est peccatum mortale externum, ad cujus absolutionem inferioribus Sacerdotibus limitatur potestas.

3. Q. *Quotuplices sunt Casus Reservati?*
R. Secundum Triplicem Jurisdictionem in Ecclesia Christi, triplices sunt Casus reservati. Alii sunt Papales, quos sibi Papa pro tota Ecclesia reservat. Alii Episcopales, quos sibi Ordinarii Locorum pro sua Diæcesi reservant. Et alii quos sibi Superiores Ordinum, pro suis Religiosis reservant.

4. Q. *Quos Casus sibi reservat Papa?*

R. Eos

R. Eos ordinariè quibus eſt annexa Excommunicatio major; & tales ſunt 20. in Bulla Cænæ Domini contenti, qui his verſibus ſpecificantur.

1. Hæretici. 2 à Papa appellans, 3. cum fure
4. Pyratæ. 5. augens vectigal. 6. aut Breve falſificans. 7 Hoſtibus arma ferens.
8. Victum quivè amovet Urbe. (ciet
9. Quos Papa. 10. aut Pietas. 11. aut ſua cauſa
12. Præſulibus gravis 13 ad Laicũ ſpectantia Sacrum.
14. Sit reus. 15. aut Judex, qui traxit acta forũ
16. Prælati. 17. Eccleſiævè uſurpans jura. 18. onus & qui
His ſtatuit. 19. Capitis noſcit eosq; reos
20. Sedis Apoſtolicæ terras quippè occupat atrox
Hos omnes Domini Cænæ Anathema ligat.

Sunt adhuc alii Caſus reſervati. 6. intra Italiam à Clemente VIII. quos etiam Gregorius XIV. reſervavit. in Bulla, quæ incipit: Cum alias nonnulli. His verſibus exprimuntur:

1. Jura Sacri violata Loci. 2. vel ſepta Sacrarũ Virginum. 3. it in Clerũ cum violenta manus
4. Simonia fide. 5. aut facto producta. 6 Duellũ
Hos intra Italiam nonniſi Papa levat.

Plures Caſus Reſervatos leges in lib: 5. Decretal: titul: 39. R.P. Pichler; & Tom: 3. Tact: 6. in appendice Caſuum reſervato-

vatorum. P. Mazotta §. III.

Pius V. reſervavit ſibi facultatem abſovendi malè promotos. Reiffenſtul. Tract: 14. diſt: 9 quæſt: 1. art. 1. num 5.

Benedictus XIV. duos ſibi Caſus reſervavit ſine Cenſura. 1mò Malitioſam & injuſtā accuſationem Sollicitationis contra Confeſſarium innocentem, quem accuſantem nullus præter Papam abſolvere poteſt extra articulum mortis. 2dò Receptionem Donorum à Regularibus etiam Superioribus oblatorū ultra 10 Scuta (exceptis, quæ fiunt propter remunerationem vel eleemoſinam) Ita Urbanus VIII Conſtit. *Nuper* quod confirmavit Benedictus in Bulla: *Paſtoralis* Anno 1744. Idem Benedictus XIV. reſervavit ſibi abſolventes complices contra 6tū Præceptum Decalogi, & eorum inquirentes nomina, cognomina, reſidentias &c. 1746 & ſuſtulit poteſtatem omnibus Confeſſariis eos abſolvendi excepto articulo mortis, ſub Excommunicatione ſoli Papæ reſervata.

5. Q. *Qui ſunt Caſus reſervati Epiſcopis?*

R. Sunt illi, quos ſibi unusquisq; Ordinarius in ſua Diæceſi ſpecialiter reſervat, à quibus etiam Regulares mendicantes ſine ſpeciali licentia abſolvere non poſſunt pænitentes.

6.

6. Q. *Quotuplices sunt casus reservati Episcopis?*
R. Duplices. Alii sunt de Jure, alii de consvetudine.

7. Q. *Qui & quot sunt casus reservati de Jure Episcopi?*
R. Hi nimirum quinq; *1mò* Levis percussio Clerici. C. Pervenit de Sententia Excommunic. *2dò* Irregularita & Suspensio ex delicto oculto. Trident: Sess: 24. cap: 6. de Reformat. *3tiò* Peccatum Incendiariorum. Can. *Si quis* & Can: *Pessima.* 23. q. 8. nostri sint tales Incendiarii declarati, vel Excommunicati quorum tunc absolutio Papæ reservatur. C. *Tua nos.* Junctâ Glossâ de Senten: Excomm: *4tò* Blasphemia in DEUM & Sanctos. C. 2. de maledi. *5tò* Enormitas criminum enumeratorum in Gloss: c. 2. v. reservantur de Pænitentia in 6tū.

8. Q. *Qui sunt & quot sunt casus reservati Episcopis de consvetudine?*
R. Hi quinq; *1mò* Homicidium voluntariū. *2dò* Peccatū Falsarii. *3tiò* Violatio Immunitatis Ecclesiasticæ. *4tò* Sacrilegiū. *5tò* Peccatū retentionis alienorū. Piasecki autē in Praxi Episcoporum Part: 2. cap: 1. art. 3. plures addit Casus tam de Jure, quam de Consvetudine reservatos Episcopis. Qui autem sunt Casus reservati de

jure

jure speciali Celsissimo Illmo Michàéli Georgio Poniatowski Administranti Officium cum plena jurisdictione Episcopale Cracoviensis Diæcesis Anno 1788. dictum est Tract: 4 paragraph: 9 num. 13.

9. Q. *Qui sunt Casus Superioribus Religionum reservati?*

R. Ex Bulla Clementis VIII. sunt 11.

1. Veneficia. Incantationes, Sortilegia. 2. Apostasia à Religionè, sive habitu dimisso sive retento quando eo pervenit, ut extra Septa Monasteri vel Conventus sit. 3. Nocturna & furtiva egressio ex Monasterio etiam animo non apostatandi facta. 4. Proprietas contra Votum Paupertatis quæ sit peccatum mortale. 5. Juramentum falsum in Judicio Regulari, Capitulari seu legitimo. 6. Procuratio auxilium, seu Consilium ad abortum faciendum post fætum animatum etiam effectu non secuto. 7. Falsificatio manus, seu Sigilli Officialium Monasterii aut Conventûs. 8. Furtum de rebus Monasterii in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale. 9. Lapsus Carnis voluntarius opere consumatus. 10. Occisio, Vulneratio, seu gravis percussio cujuscunq; Personæ. 11. Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut aperitio Literarum à Superioribus ad Inferiores, & è contra.

§. 17.

De Sacramento Matrimonii.

1. Q. *Quid est Matrimonium?*
R. Est legitima Maris & fæminæ conjunctio, individuam vitæ retinens consvetudinem.

2. Q. *Quotuplex est Matrimonium?*
R. Triplex. Legitimũ, quod est Contractus legibus conformis, inter Personas habiles, seu jure non impeditas non tamen est Sacramentalis, uti est inter Judæos. Ratum est Contractus Fidelium ab Ecclesia approbatus, non tamen copulâ carnali completus. Et Consummatum quod est Contractus Fidelium Sacramentalis, copulâ carnali completus.

3. Q. *Quotuplex est adhuc Matrimonium?*
R. Duplex. Solemne, quod fit cum assistentia Parochi, & duorum saltem testium. Et Clandestinum, quod fit sine dictis solemnitatibus, & ibi solum obligat, ubi Tridentinum Concilium non est promulgatum & receptum.

4. Q. *Quotuplex est adhuc Matrimonium?*
R. Duplex. Civile, & Canonicum, vide Pichler lib: 4. tract: 1. num. 73. & P. Schmier lib. 4. tract: 2. cap: 1. n. 73.

5. Q. *Quotuplex est adhuc Matrimonium?*

R.

R. Simplex vulgò nuncupatum Conſcientiæ, quod celebratur omiſſis Bannis, facta diligenti inquiſitione Perſonarum &c. Ita Benedictus XIV. Anno 1741. Die 17. 9bris.

6. Q. *Quotuplex eſt Materia Matrimonii?*

R. Duplex. Remota. contrahentium ſunt corpora. Proxima verò mutua corporum traditio.

7. Q. *Quæ eſt Forma hujus Sacramenti?*

R. Eſt mutuus Contrahentium conſenſus verbis, vel aliis ſignis ſufficienter expreſſus. Ita S. Thom: in Suplem: 3. p. qu: 4. art: 1. ad 1mum.

8. Q. *Quis eſt Miniſter Sacramenti Matrimonii?*

R. Sunt ipſi Contrahentes. Ita Communis Doctorum contra Sylvium & alios Recentores.

9. Q. *Ad quid inſtitutum eſt Matrimonium?*

R. Propter Duo, videlicet; propter generationem prolis, & remedium concupiſcentiæ. juxta illud Pauli 1. Corinth: 7. Melius eſt nubere, quam uri.

10. Q. *Quæ ſunt Bona Eſſentialia Matrimonii?*

R. Præter Gratiam habitualem & Sacramentalem, quæ ſunt Communes omnibus Sacramentis Tria alia numerantur Bona, nempe: Sacramentum, Fides, & Proles. Bonum Sacramenti eſt obligatio non diſ-

ſolvendi Matrimoniale vinculum. Bonum Fidei eſt obligatio non adulterandi. Bonum Prolis eſt obligatio ſuſcipiendi prolem & non vitandi illam poſitivè, & mediis illicitis

11. Q. *Qui ſunt adhuc ſingulares Effectus Matrimonii?*

R. Ex parte Viri: Poteſtas Maritalis & Patria, ex parte Uxoris participatio multorum Mariti Privilegiorum. Ex parte Filiorum: legitima Nativitas,

12. Q. *Quotuplices ſunt Solemnitates Matrimonii?*

R. Duplices. Subſtantiales, ſine quibus redditur Matrimonium invalidum, ut vg: juxta Trident: ſine Parocho & teſtibus. Accidentales ſunt, ſine quibus Matrimonium eſt validum ſed illicitum ut vg: ſine Bannis Benedictione &c.

13. Q. *In quo loco debet celebrari Matrimonium?*

R. Ordinariè in loco Sacro. Ex cauſa tamen juſta ab Officio pro tali habita, poteſt eſſe & in loco profano; In Eccleſia tamen debet fieri Benedictio. Ita Marchantius

14. Q. *Quotuplex eſt Parochus Sponſorum?*

R. Duplex Originis, & Domicilii. Si tamen in uno loco natus ſit aliquis, in alio autem contraxit Domicilium, non Parochus

chus Originis, ſed Domicilii debet aſſiſtere Matrimonio. Ad contrahendum autem Domicilium non requiritur longum tempus manſionis in aliquo loco, ſed firmus animus ibidem degendi. Ita S. R. C. 1574 die 15 Decembris.

15. Q. *Quis ſit Parochus Vagorum, Peregrinorum, & Militum?*

R. Matrimoniis Vagorum poteſt aſſiſtere quilibet Parochus, prius tamen tenetur facere examen diligens, & obtinere ab Epiſcopo licentiam illorum Matrimonio aſſiſtendi. Ita Concil: Trident: Seſſ: 24. c. 1. Non item autem Matrimonio Peregrinorum, ſiquidem hi alibi habent Domiciliũ ſuũ ad illud reverſuri. Quò verò ad Matrimonia Militum ſervanda eſt Deciſio S. C. Anno 1694 Die 6. Martii data, & confirmata 1704 Die 28. Junii. Ut Matrimoniis illorum Capellanus Exercitûs cum ſpeciali licentia Epiſcopi conſenſuq; Parochi loci, præmiſſô prius diligenti examine liberi ſtatûs eorum, & recognitione coram Epiſcopo facta aſſiſtat.

16. Q. *Quæ ætas requiritur ad contrahendum Matrimonium?*

R. In Fæminis annus 12. in Viris 14. completus, ſi verò malitia ſuppleverit ætatem Epiſcopo Loci diſcernente, pote-

runt

runt Idem Episcopi dispensare cum talibus sine recursu ad Sedem Apostolicam, juxta Literam Encyclicam Benedicti XIV. quæ incipit: Magne nobis. Ad Archi Episcopos Regni Poloniæ missam.

W.A. L.K.

§. 18.

De Sponsalibus.

1. Q. *Quid sunt Sponsalia?*

R. Sponsalia, quæ Sponsa Lia cum Jacobo, vel alia cum quocunq; init, à spondendo dicta sunt, & definiuntur, quod sint: futurarum Nuptiarum mutua & deliberata promissio. Can: Nostrates |30. qu. 5.

2. Q. *In qua ætate possunt contrahi Sponsalia?*

R. Potest illa homo in fine primi Septennii contrahere. Ratio est: quia tunc homo, & non ante judicatur habere prudentiam aliquam circa futurum. Ita habetur C. Literas de Dispensat. Impuberum; quod septennium non omnino debet esse Mathematicè completum. Contrahere verò ante Septennium, licet malitia suppleat ætatem, non tantum est peccatum mortale, sed etiam Sponsalia ipso jure nulla sunt, ut patet ex citato loco C. Literas,

3. Q.

3. Q. *Possuntne Parentes vel Tutores contrahere Sponsalia pro Filiis ante Septennium?*

R. Possunt. Constat ex cap: unico de Desponsatione Impuberum. requiritur tamen eorum consensus post hæc ad valorem Sponsaliorum.

4. Q. *Quæ requiruntur ad Valorem Sponsaliorum?*

R. Hæc sequentia 8. *1mò* Ut sit promissio vera & non ficta. *2dò* Ut sit voluntaria. *3tiò* Ut sit mutua. *4tò* Ut sit sufficienter verbis aut nutibus expressa. *5tò* Ut sit absoluta. *6tò* Ut sit determinata. *7mò* Ut tam in fœmina, quam in masculo sit annus septimus completus. *8vò* Ut non sint ambo ullô impedimentô tam dirimente quàm impediente irretiti.

5. Q. *Qui sunt Effectus Sponsaliorum? & quot?*

R. Tres. *1mò* Obligatio ea implendi, & quidem sub culpa mortali. *2dò* Impedimentum publicæ honestatis, *3tiò* Inhabilitas ad alia contrahenda Sponsalia his stantibus. Inita autem Sponsalia cum alia Sponsa etiamsi essent juramento aut copula firmata, nulla sunt & invalida. Ita Communiter DD.

6. Q. *Quot modis possunt dissolvi Sponsalia?*

R. Octo Modis. Ita Flavianus Ricci à Cimbria

bia Tract: 14 Dist: 14. quæst: 2. num. 33. &c. 1mò Mutuo contrahentium consensu loquendo de puberibus, non impuberibus. 2dò per ingressum Religionis, susceptionem Ordinum, aut votum simplex Castitatis 3tio Per Matrimoniū cum alia celebratum. 4. Per subsequentem alterius fornicationem. 5. Per notabilem fæditatem supervenientem. 6to Propter morum asperitatem & sævitiam. 7mo Ob paupertatem alteri supervenientem, vel notabilem alterationem statûs unius. 8vò Ob discessum Sponsi, vel Sponsæ in terram longinquam sine alterius licentia. Plura reperies in Tribunali Confess. Wigant cap: 14. de Matrim: §. 2. de Sponsalibus.

7. Q. *Quare ante Matrimonium præmittuntur Sponsalia?*

R. 1mo Ut Sacramentum Matrimonii cum matura deliberatione contrahatur. 2do Ut impedimenta, si quæ sint, in apertum proferantur.

8. Q. *An Sponsalia Clandestina insciis videlicet Parentibus inita sint valida & licita?*

R. Esse valida & licita, siquidem nulla lex vetans talia sponsalia extat. Ita Riedl Thlgiæ Moral: Tract: 8. de Matrim: num 1636. citans alios.

§. 19.

§. 19.

De Denuntiationibus.

1. Q. *Quid sunt Denuntiationes seu Bannæ?*

R. Est publica proclamatio facta in facie Ecclesiæ de Matrimonio à duabus Personis contrahendo ad impedimentum detegendum.

2. Q. *In quo loco Bannæ debent publicari?*

R. Ordinariè in Ecclesia, ex rationabili verò causa in Cæmeterio. Ita Layman.

3. Q. *Quibus diebus debent esse Bannæ promulgatæ?*

R. Tribus diebus Festivis continuis. Ita Concil: Trident Sess: 24. de Reform: Matrim: c. 1. Possunt esse etiam Bannæ tribus diebus Festivis continuis successivis. Ita Kugler Tamburinus. Imo possunt etiam esse die feriali, si necessitas postulaverit, & adesset Concursus populi. Ita Layman.

4. Q. *Si fuerint Sponsi diversarum Parochiarum, ubi faciendæ sunt Denuntiationes?*

R. In utraq; Parochiali Ecclesia, nisi consvetudo locorum aliter obtineat.

5. Q. *Quis potest dispensare in Bannis?*

R. Episcopus, vel ex Ejus delegatione alius Superior. Sine tamen gravi causa dispensare non debet. Ita Benedictus

XIV. Constit: *Satis Vobis* Bullarii Tom: I. n. 55. quare illi peccant, qui sine causa dispensationem procurant. In his tamen Parochus dispensare non potest.

6. Q. *Si in pluribus Parochiis Sponsus vel Sponsa Bona sua hæreditaria habeant, ubi faciendæ sunt Proclamationes ?*

R. In ultima, ubi residet aliquis Sponsorum ante Matrimonium contrahendum.

7. Q. *Quas pœnas incurrunt contrahentes neglectis Bannis ?*

R. 1mo Pænam arbitrariam à Loci Ordinario imponendam. 2do Amissionem duplicis Privilegii, nimirum: legitimationem prolis ex Cap. *Cum inter*: & faciliorem dispensationem in impedimento occulto.

8. Q. *Quam pœnam incurrit Parochus, vel de Ejus licentia assistens Matrimonio neglectis Bannis ?*

R. Triennalem suspensionem ab Officio, per sententiam Judicis declarandam.

§. 20.

De Impedimentis Matrimonii.

1. Q. *Quid est Impedimentum Matrimonii ?*

R. Est circumstantia quædam, cum qua Matrimonium vel non valet, vel non licet.

2. Q. *Quotuplicia sunt Impedimenta?*
R. Duplicia. Impedientia, & Dirimentia. Impedientia, quæ reddunt Matrimonium illicitum. Dirimentia, quæ reddunt invalidum.

3. Q. *Quot sunt Impedimenta impedientia?*
R. Olim erant 12. nunc verò partim ex Tridentino, partim ex consvetudine ad 5. sunt reducta, hoc versu expressa:
Clam, Sacrum Tempus, Vetitum, Sponsalia, Votum.

1mo Per ly *Clam* intelligitur Omissio Bannarũ. 2do *Tempus Sacrum* seu Sacrum juxta Trident: Sess: 4. c. 10. de Reform: intelligitur Tempus ab Adventu usq; ad Epiphaniam inclusivè, & à Die Cinerum usq; ad 8vam Paschæ inclusivè, quô licitè possunt fieri Contractus Matrimoniales, aut eorum consummatio; non verò Solemnis Sponsæ traductio in domum Sponsi, Convivia, & Tripudia. 3tio Per ly *Vetitum* est prohibitio Episcopi, aut Parochi. 4to Per ly *Sponsalia*, intelligitur juxta Trident: Sess: 24. cap: 1. mutua futuri Matrimonii promissio signô sensibili inter Personas jure habiles. quæ Sponsalia contracta cum una impediunt Matrimonium cum aliis, nisi ritè prius dissolvantur. Ex quibus inter Sponsum & Consangvineos Sponsæ, ac inter Sponsam

& Consangvineos Sponsi oritur impedimentum dirimens; quod olim ad 4tum Gradum extendebatur, Jure tamen Novo Trident: Seff: 24. c. 3. ultra primum gradum non extenditur 5to Per ly; *Votum*, scilicet simplex sive Castitatis, sivè Religionis, sive non nubendi. Ita Sanchez lib: 7. d. 13.

4. Q. *Quod sunt Impedimenta dirimentia ?*
R. Quatuordecim, his Versibus comprehensa:

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen.
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas.
Si sis Affinis, si fortè coire nequibis.
Si Parochi aut duplicis desit præsentia testis,
Raptavè sit Mulier, nec parti reddita tutæ.

5. Q. *Quotuplicia sunt Impedimenta dirimentia ?*
R. Duplicia. Alia sunt Juris Naturalis, & Divini, & talia sunt quatuor: Error, Consangvinitas in primo gradu lineæ rectæ, Ligamen, & Impotentia perpetua. Ita Mazotta, & hæc invalidant Matrimonium, ita ut neq; Papa possit in illis dispensare, quia sunt Superioris Potestatis scilicet Juris Divini; habet tamen Papa facultatem declarandi & interpretandi, quando præcepta Naturæ obligant, vel non, in quibus-

dam

dam graviſſimis Caſibus. Reliqua autẽ decem Impedimenta ſunt Juris duntaxat Eccleſiaſtici & poteſt in illis diſpenſare Papa

6. I. ERROR. Q. *Quotuplex eſt Error ?*

R. Duplex. Subſtantialis, qui contingit circa individuum Perſonæ. Et Accidentalis, qui obvenire poteſt crica qualitates Perſonæ. Error Subſtantialis circa Perſonam dirimit Matrimonium, ut vg: qui voluit ducere Rachelem, data eſt ipſi Lia in Uxorem. Error accidentalis circa qualitates Perſonæ per ſe non irritat Matrimonium, cum non ſit circa Subſtantiã vel eſſentiam Matrimonii, neq; conſenſus eſt abſolutè involuntarius, ſed ſecundùm quid tantum. Per accideus verò nullum reddit Matrimonium, idq; ex triplici ratione: *1mò* Si qualitas unius Perſonæ ſit unius finis Matrimonii, ut ſi ducere ideo velis Bertam nobilem, quatenus ſis affinis Nobiliũ. *2dò* Si ſit Conditio ſine qua non vg: intendendo ducere pulchram vel divitem. *3tiò* Si redundet in ſubſtantiam Perſonæ. Ratio eſt: quia tunc adeſt error in ſubſtantia.

7. II. CONDITIO. Q. *Quid nomine Condiditionis intelligitur ?*

R. Status ſervilis alicujus ex contrahentibus, & quidem non qualiscunq; ſervitus, ſed illa, quæ mancipium reddit ita Subdi-

tum

tum Domino, ut ab illo possit vendi pro libitu.

8. Q. *Quæ Conditio dirimit Matrimonum ?*

R. Sola Conditio ignoratæ servitutis dirimit Matrimonium jure Ecclesiastico, ita ut si liber contrahat cum serva, quam liberam esse credebat, possit cognita servitute aliam ducere. Ita habetur Can: *Si quis ingenuus.* 29 qu: 2. Si tamen, postquã novit eandẽ esse servã, cognoscat carnaliter, vel cum ea contrahat, valet Matrimonium. Ita in Jure loco citato. Valet item Matrimonium, si uterq; Conjux sit servus; ubi notandum est, non esse propriè servos, qui sunt Coloni originarii, vel adscititii.

9. III. VOTUM. Q. *Quale Votum est Impedimentum dirimens Matrimonium ?*

R. Votum solemne Castitatis per susceptionem Ordinis Sacri vel per Solemnem Professionẽ in Religione approbata spontè emissum, non autem Votum simplex, quia tale solum impedit, non vero dirimit Matrimonium.

10. IV. COGNATIO. Q. *Quid est Cognatio?*

R. Est quædam conjunctio inter certas Personas.

11. Q. *Quotuplex est Cognatio ?*

R. Triplex. Legalis, Spiritualis, & Naturalis.

12. Q. *Quid est Cognatio Legalis ?*
R. Est propinquitas Personarum quarundam ex adoptione proveniens.

13. Q. *Quid est Adoptio ?*
R. Est Personæ extraneæ in Filium aut Filiam legitima assumptio.

14. Q. *Quotuplex est Adoptio ?*
R. Duplex. Perfecta, & Imperfecta, seu Simplex. Perfecta est, per quam Persona extranea per Principis rescriptum transfertur in potestatem & Familiam adoptantis, ut instar legitimorum Filiorum esse incipiat. Imperfecta verò seu simplex est, per quam Persona adoptata non transit in potestatem adoptantis, quia est in potestate Patris sui, & non est hæres ex testamento, sed tantum ab intestato. Perfecta Adoptio dirimit Matrimonium inter adoptantem & adoptatum. Ita Omnes DD. de Imperfecta alii affirmant alii negant.

15. Q. *Quid est Cognatio Spiritualis ?*
R. Est propinquitas quarundam Personarum jure Ecclesiastico introducta propter collationem Baptismi, vel Confirmationis, susceptionemq; recipientis aliquod ex his Sacramentis.

16. Q. *Quas Personas afficit hæc Cognatio Spiritualis ?*
R. Sex. *Imò* enim contrahitur inter baptiza-

ptizatum & Comfirmatum, &[n] inter baptizantem & Confirmantem. 2dò inter baptizatum vel confirmatum. & inter Patrinum vel Matrinam, & hæ duæ cognationes vocantur Paternitas & Filiatio Spiritualis. 3tiò inter Patrem & Matrē baptizati vel confirmati, & inter baptizantem & confirmantem. 4tò inter Patrem & Matrem baptizati, ac inter Patrinum & Matrinam. Hæc autem Cognatio Spiritualis non contrahitur in privato Baptiſmo, ſed in ſolemni, propter munus Patrinorum, quod exercent. Si autem plures quàm duo concurrunt Patrini, illi tantùm contrahunt Cognationem Spiritualem, qui à Parentibus vel horum loco à Paroho fuerint deſignati. Ita Trident: Seſſ: 24. c, 2.

17. Q. *Quid eſt Cognatio Naturalis ?*

R. Eſt vinculum Perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium, carnali propagatione contractum. Ita S. Thom: in ſupplem 3. p. q. 54. art: 1. Hæc dirimit Matrimonium uſq; ad 4tum Gradum incluſivè; in primo gradu Jure Naturæ, in reliquis tribus Jure Eccleſiaſtico.

18. Q. *Quid intelligitur per Gradum ?*

R. Intelligitur major vel minor diſtantia unius Perſonæ ab alia ſecundùm lineam Conſangvinitatis.

19. Q. *Quid intelligitur per Lineam?*
R. Intelligitur Ordo Perſonarum tam aſcendentium quàm deſcendentium ab uno eodemq; ſtipite.

20. Q. *Quotuplex eſt Linea?*
R. Recta & Collateralis. Recta eſt illa, ſecundum quam multæ Perſonæ procedunt ab uno ſtipite. ut Filius à Patre.

21. Q *Quotuplex eſt Linea Recta?*
R. Duplex Aſcendens, quæ exurgit à Perſona genita ad generantem ſurſum, ut Pater, Avus, Proavus. Deſcendens eſt illa, quæ à ſtipite, ſeu Perſona generante ad genitas inflectit deorſum, ut vg: à Patre Filius Nepos, Pronepos deſcendentes, ſeu geniti.

Pro dignoſcendo autem Gradu Conſangvinitatis, tres Regulæ ſunt obſervandæ:

I. REGULA. In Linea Recta tam aſcendentiũ quàm deſcendentium, quot ſunt Perſonæ tot ſunt gradus unâ demptâ ſcilicet ſtipite. vg: Pater & Filius ſunt Conſangvinei in primo gradu, Nepos & Avus in ſecundo.

II. REGULA. In linea transverſa æquali (quæ eſt inter Perſonas à communi ſtipite æqualiter diſtantes) quot gradibus ſingulæ Perſonæ à cõmuni ſtipite diſtant, totidem diſtant inter ſe. Unde Frater & Soror

ſunt in primo gradu lineæ transverſæ, Patrueles & Conſobrini in 2dò, Filii eorundem in 3tiò.

III. REGULA. In Linea transverſa inæquali inter Perſonas inæqualiter diſtantes à Communi Stipite, quot gradibus remotior Perſona diſtat à Stipite, tot gradibus diſtant inter ſe. Unde Patruus & Nepos, Filius & Soror Patris ſunt Conſangvinei in ſecundo gradu, quæ omnia patent in adjuncto ſequenti Schemate.

Sche-

Schema Consangvinitatis.

	IV. Abavus. Abavia.	
IV. M. Propatruus M. Proamita.	III. Proavus. Proavia.	IV. M. Proavunculus. (tera. M. Promater.
III. M. Patruus. M. Amita.	II. Avus. Avia.	III. M. Avunculus. M. Matertera.
II. Patruus. Amita.	I. Pater. Mater.	II. Avun ulus. Matertera.
I. Frater.	Hypothes.	I. Soror.
II. Filii & Filiæ Fratris.	I. Filius. Filia.	I. Filii & Filiæ Sororis.
III. Nepotes & Neptes ex Fratre	II. Nepos. Neptis.	III. Nepotes & Neptes ex Sorore
IV. Pronepotes & Proneptes ex Fratre.	III. Pronepos Proneptis.	IV. Pronepotes & Proneptes ex Sorore.
	IV. Abnepos. Abneptis.	

Nomina Conſangvinitatis

Latine	Polonicè
Pater Mater	*Oyciec Matka.*
A. Abavus	*Dziadowego Oyca Oyciec*
Abavia	*Dziadowa Baba.*
Abnepos -	*Wnukow Wnuk.*
Amitta .	*Ciotka.*
Amitta magna	*Dziadowa Sioſtra.*
Amittini matrueles	*Bracia i Sioſtry Synowey*
Atavus - -	*Dziadowego Dziada Oyciec.*
Atavia - .	*Babiney Baby Matka*
Abnepos -	*Wnukowego Wnuczka Syn*
Avus - -	*Dziad.*
Avia - -	*Babka.*
Avus Paternus	*Oyciec Oycow.*
Avus maternus	*Oyciec Matki.*
Avunculus	*Wuy.*
Avunculus magnus - -	*Baby czyli ſtarey Matki Brat.*
C. Coſobrini -	*Dwoch Sioſtr Synowie v. Cioteczni Bracia.*
Conſobrina	*Matki Sioſtry Corka.*
F. Frater -	*Brat.*
Frater uterinus	*Brat Przyrodny, czyli z iedney Matki, a inſzego Oyca.*
Frater germanus - -	*Brat rodzony, iednego Oyca i Matki.*

G. Ge-

pro intelligentia meliori.

G. Gemini - -	*Bliźnięta.*
M. Matertera.	*Ciotka czyli Matki Siostra.*
Matertera magna - -	*Baby czyli starey Matki Siostra.*
N. Nepos ex Filio	*Wnuk od Syna v. Synow Syn.*
Nepos ex Filia	*Wnuk od Corki v. Corki Syn.*
Nepos ex Fratre - -	*Wnuk czyli Bratow Syn.*
Nepos ex Sorore -	*Wnuk od Siostry v. Siostry Syn.*
Neptis ex Filio	*Wnuczka od Syna.*
Neptis ex Filia	*Wnuczka od Corki.*
Neptis ex Fratre - -	*Wnuczka od Brata.*
Neptis ex Sorore - -	*Wnuczka od Siostry.*
P. Patruus -	*Stryi czyli Oyca brat.*
Patruus Magnus - -	*Dziadow Brat.*
Patrueles Fratrueles -	*2. Braci Synowie v. 2. Siostr Bracia.*
Proamitta -	*Dziadowego Oyca Siostra*
Proavunculus	*Prababy v Starey Matki Brat.*
Proavus -	*Pradziad v. Oyciec Dziadow.*

Nomina Consanguinitatis

	Polonicè.
Proavia -	*Prababa v. Starey Matki Matka.*
Promatertera	*Prababy Matki Siostra.*
Pronepos -	*Prawnuk v Wnukow Syn.*
Proneptis -	*Prawnuczka.*
Propatruus -	*Dziadowego Oyca Brat.*
S. Sobrini -	*Dwoch Siostr Wnuczkowie.*
Soror germana	*Rodzona Siostra.*
Sororinus v. Sororius -	*Siostrzenny czyli Szwagier.*
T. Trinepos -	*Wnukowego Wnuka Wnuk.*
Tritavus -	*Pradziada Dziad.*
Tritavia -	*Babiney Baby Baba.*
Filius Filia.	*Syn Corka.*
Liberi.	*Dzieci.*

Nomi-

Nomina Affinitatis.

	Polonicè
Socer - -	Szwagier, czyli Mąż Siostry.
Pater Uxoris -	Teść czyli Zony Oyciec.
Consocer. Cujus Filio mea Filia nupsit - -	Męża, albo Zony Rodzice
Socrus Mater Uxoris - -	Matka Zony albo Mężowa.
Prosocrus -	Szwagrowa Matka.
Gener - -	Zięć v. Mąż Corki.
Progener - -	Małżonek Wnuczki.
Congener - -	Od dwoch Siostr Mężowie v. Zięciowie.
Nurus - - -	Synowa Zona,
Pronurus - -	Wnukowa Małżonka,
Conurus - -	Drugiego Syna Zona
Levir - - -	Szwagier alias Brat Zony v. Męża.
Uxorius - -	Małżonki Brat.
Glos - - -	Mężowa Siostra.
Fratria - -	Bratowa Zona.
Sororius - -	Siostry Mąż.
Sororum Mariti	Siostr 2. Małżonkowie.
Janitrices - -	Bratowe v. Braci Małżonki.
Vitricius - -	Oyczym.
Privignus - -	Pasierb.
Noverca - -	Macocha.
Privigna - -	Pasierbica.

22. V. CRIMEN. Q. *Quid nomine Criminis intelligatur?*

R. Impedimentum dirimens, vi cujus inter complices delicti, validum Matrimonium etiam soluto priore iniri nequit.

23. Q. *Quotuplex est Crimen?*

R. Duplex. Homicidium sive occisio Conjugis & Adulterium.

24. Q. *Quæ conditiones requiruntur, ad hoc, ut homicidium seclusô adulteriô dirimat Matrimonium?*

R. Quatuor. *1ma* Ut Uxor occidat maritum sive per se, & immediatè, sivè per alium jubendo vel consulendo *2da* Ut Vir & Fæmina qui Matrimonium contrahunt ambo simul in mortem Conjugis conspirent. *3tia* Ut ob finem contrahendi secum Matrimonium machinentur in mortem. *4ta* Ut ipsa mors sequatur realiter ex causa machinantium.

25. Q. *Quæ Conditiones requiruntur, ut seclusô homicidiô adulterium dirimat Matrimonium?*

R. *1ma* Ut vivente Conjuge fides seu promissio de futuro Matrimonio data sit, & adulterium formale commissum utriq; notum, etiam secluso homicidio. *2da* Ut promissio sit acceptata, & signo aliquo externo manifestata, neq; retractata. Additur etiam his tertia Conditio nimirum:

Ma-

Matrimonium defacto initum cum adultero, quando actu adulterantes contrahunt secum clandestinum Matrimonium vivente altero Conjuge adulterantis. Ita Sanchez Babenstuber.

26. Q. *An peccat Conjux promittens Matrimonium contrahendum post obitum Conjugis ?*

R. Non tantùm promittens sed etiam acceptans peccat graviter. Non tamen inducit impedimentum dirimens. Ita Sanchez n. 41. cum aliis.

27. Q. *Quo Jure? & ob quem finem hoc impedimentum inductum ?*

R. Jure Ecclesiastico ad vitandum homicidium, & odium Sacramenti. Ita Felix Potestas Exam: Confess: Tom: 1. part: 4. cap: 5. de Matrim: num: 4047.

§. 21.

Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen &c.

1. VI. CULTUS disparitas. Q. *Quid est hoc Impedimentum ?*

R. Est differentia seu diversitas Religionis inter contrahentes Matrimonium, dum videlicet infidelis cum fideli, vel fidelis cum infideli, hoc est non baptizato gentili

tili, inter quos etiam includitur Catechumenus, qui licet jam habeat fidem, non tamen Baptismum, Matrimonium inire non potest.

2. Q. *Validumnè est Matrimonium inter Catholicum & Lutheranum ?*

R. Validum est, sed illicitum, quod ut sit licitum, recurrendum est ad S. Sedem Apostolicam pro Dispensatione. ut monet Benedictus XIV. in Bulla: *Magnæ Nobis* 1748. D. 29. Junii missa ad Episcopos Regni Poloniæ quâ dispensatione obtentâ, duo Conjuges servare debent *1mò* Ne Conjux Catholica ab Hæretico pervertatur, imò illa studeat Maritum unire S. Romanæ Ecclesiæ. *2dò* Ut proles utriusq; sexus catholicè educetur.

3. Q. *Quid sentiendū est de Infidelibus ad fidem conversis ?*

R. Si ambo infideles ad fidem convertantur, debent in Matrimonio contracto permanere, si verò unus eorum conversus, & alter non, sed neq; velit cohabitare cū fideli sine injuria Creatoris, ante omnem sententiam potest contrahere Matrimonium cum Fideli. Patet ex verbis D. Pauli 1. Corint: 7.

4. VII. VIS. Q. *Quid per vim intelligitur ?*

R. Violentia, seu metus gravis injustè incussus à causa extrinseca in ordine ad

extor-

extorquendum consensum Matrimonii. Impedimentum hoc dirimit Matrimonium non tantum Jure Ecclesiastico, sed etiam naturali.

5. Q. *Quæ Conditiones requiruntur, ut metus gravis cadens in Virum constantem invalidet Matrimonium ?*

R. Tres. *1ma* est: Ut sit metus incussus à causa extrinseca libera, nempè ab homine. *2da* Ut sit incussus ob finem extorquendi Matrimonii. *3tia* Ut sit incussus injuste.

6. VIII. ORDO. Q. *Quid intelligitur per impedimentum Ordinis ?*

R. Tres Ordines Sacri, in quibus constituti, Matrimonium contrahere nullo modo possunt, contractumq; invalidant Jura Ecclesiæ ut patet ex Trident: Seff: 24. cap: 9. ob annexum ejs Votum Castitatis.

IX. LIGAMEN. Q. *Quid per Ligamen intelligitur ?*

R. Vinculum Viri cum Uxore post contractum legitimum Matrimonium sive consumatum, sive tantummodo ratum, quamdiu enim hoc vinculum durat, Matrimonium cum quovis alio contrahendum impedit ac dirimit non tantùm Jure Ecclesiastico, sed etiam Divino, ut patet ex verbis Christi *Matth*: 19. Quicunq; dimisit Uxorem, & aliam duxit, mæchatur.

8. Q.

8. Q. *Dispensavitnè aliquando DEUS in hoc impedimento ?*

R. Dispensavit post Diluvium cum Hæbreis ad multiplicandos Fideles in venturum Messiam. Ita Bellarminus cap: 2. At in Lege Evangelica cessavit hæc dispensatio. Nam Christus Dominus *Matth*: 5. & 19. reduxit Matrimonium ad primævam sui institutionem. Ita Trident. Sess: 24. Can: 2. Ideoq; in hoc Impedimento neq; Pontifex dispensare potest. Ita Omnes DD.

9. Q. *Quas pœnas incurrit, qui plures simul uxores habet ?*

R. Cum hoc delictum ad duplex Forum spectet, videlicet: ad Inquisitores S. Officii, & Forum sæculare, in utroq; Foro punibilis existit talis. Officium Sæ Inquisitionis præter abjurationem salutares ei assignat pænitentias. Forum verò sæculare ad exilium vel Triremes damnat.

10. Q. *Si Parochus agnovit ex Confessione Sponsorum impedimentum dirimens, quibus dissvadere non potest, an debeat assistere Matrimonio, & copulare eos, postquàm venerint ad Ecclesiam ?*

R. Debet copulare, & assistere, propter Sigillum Sacramentale Confessionis, ne redderetur Confessio exosa.

11. X. HONESTAS. Q. *Quid est Publica Honestas ?* R.

R. Est quædam propinquitas ex Sponsalibus & Matrimonio rato proveniens introducta ab Ecclesia, quæ facit, quod alter Sponsus, cum alterius Consangvineis Matrimonium contrahere non possit.

12. Q. *Unde oritur impedimentum publicæ honestatis?*

R. Vel ex Sponsalibus licitis, vel ex Matrimonio rato non solùm valido sed etiam invalido, modo non sit invalidum ex defectu consensûs.

13. Q. *Ad quos Gradus extendit se impedimentum publicæ honestatis?*

R. Ex Sponsalibus ad primum Gradum juxta Triden: Sess: 24. c. 3. Ex Matrimonio autem rato ad quartum Gradum. Ita Pius V. motu proprio. *ad Romanos spectat.* 1568.

14. Q. *Quo Jure hoc impedimentum est introductum?*

R. Jure Ecclesiastico, quod Jus ad infideles non se extendit. Unde si Petrus infidelis contrahat Sponsalia cum infideli scilicet Catharina, & hæc moriatur, ducere potest ejus Sororem.

§. 22.

Affinitas Impotentia.

1. XI. AFFINITAS. Q. *Quid est Affinitas?*

R. Est

R. Eſt propinquitas Perſonarum proveniens ex copula ſive licita ſive illicita, facta etiam cum perſona inſana, ebria, dormiente, invita, & coacta. Ita Mazotta Tom: 4. Tract: 1. de Matrim: cap: 11

2. Q. *Inter quos contrahitur Affinitas?*
R. Inter Perſonas Viri cognoſcentis, & Mulieris cognitæ.

3. Q. *Quotuplex eſt Affinitas?*
R. Duplex. Una Lineæ rectæ, altera transverſæ. In Linea recta collocantur aſcendentes, & deſcendentes illius Perſonæ, cum qua copula fuit habita; in 2da verò Linea Conſangvinei ejusdem Perſonæ. In Linea transverſali Conſangvinei Viri uſq; ad 4tum Gradum, etiam ſunt Affines Uxoris in ſimilibus gradibus, & è contra.

4. Q. *Affinitas paritnè Affinitatem?*
R. Negativè poſt Concil: Lateran: IV. ſub Innocentio III. Anno 1215. celebratum. Et ſic Titius poteſt ducere Annã Sororem Cajæ Uxoris Fratris ſui, quamvis Cajæ ſit affinis. Ex his ſequitur: 1mò Duos Fratres poſſe Matrimonium contrahere cum duabus Sororibus, imò Patrem & Filium, cum Matre & Filia. 2dò Quod Titius, qui Uxorem duxerat Sororem Petri, poſſit poſt mortem Petri, ejus-

ejusq; Sororis inire Matrimonium cum Anna Uxore Petri. *3tiò* Quod Filius Uxoris ex alio Marito possit contrahere cum Filia Mariti ex alia Uxore. *4tò* Virum mortua Uxore posse contrahere cum relicta Uxore Fratris Uxoris suæ.

5. Q. *Ad quot Gradus extenditur hoc impedimentum Affinitatis?*
R. Ex copula licita usq; ad 4tum Gradum. Ex illicita verò ad 2dum Gradum. Ita Trident: Sess: 24. de Reform: c. 4.

6. Q. *Quis est effectus hujus impedimenti?*
R. *1mus* est impedimentum ad Matrimonium contrahendum, superveniente autem Matrimonio amissio Juris petendi debitum.

7. Q. *Quo Jure est introductum impedimentum Affinitatis?*
R. Juræ Ecclesiastico.

8. XII. IMPOTENTIA. Q. *Quid est Impotentia?*
R. Est incapacitas exercendi actum Conjugalem, sive ex parte Viri, sive ex parte Fæminæ.

9. Q. *Quotuplex est Impotentia?*
R. Duplex. Perpetua & Temporalis. Perpetua est, quæ nulla arte, & nullo modo tolli potest. Temporalis est, quæ potest tolli per licita media, & habilitare marem ob frigiditatem, vel fæminam

post

post ægritudinem ad Copulam.

10. Q. *Quotuplex est adhuc Impotentia?*

R. Duplex. Alia est antecedens Matrimonium, & alia subsequens. Explicatio divisionis patet in ipsis terminis.

11. Q. *Quotuplex est adhuc Impotentia?*

R. Duplex. Absoluta, quæ est incapacitas Physica ad consummandam copulam, vg: in Viro respectu omnium fæminarum Et Respectiva, quæ est inhabilitas ad perficiendam copulam cum aliqua in individuo fæmina, non verò cum aliis.

12. Q. *Quæ Impotentia dirimit Matrimoniū?*

R. Absoluta & antecedens, Perpetua & Naturalis, ex quocunq; impedimento proveniens. ut patet ex Bulla Sixti V. *Cum frequenter.*

13, Q. *Unde oritur hoc impedimentum impotentiæ?*

R. Ex quadruplici vitio. *1mò* nimirum ex Maleficio, quod fit ope Dæmonis, & hoc Maleficium si supervenit Matrimonio, censetur esse validū, cum vinculum ejus sit indissolubile. *2dò* Ex frigiditate, quâ frigidi langvent omnino ad copulam aptā generationi Vel ex nimio calore dum Conjuges ita præproperè seminant, ut vas aptum expectare nequeant hæc impotentia, si nec arte medicinæ, nec triennio experientiæ cesset, existimanda est esse

per-

perpetua, & dirimens Matrimonium. Frigidi censendi sunt etiam Eunuchi, quia non emittunt semen prolificum. 3tiò Ex improportione, videlicet, si vg: Vir vas fæminæ penetrare nequeat, quãvis propè illud seminet, vel si fæmina sit adeo arcta, ut nequeat penetrari à Viro, qui defectus si emendari nequit sine periculo mortis, aut gravis morbi, censetur esse impedimentum dirimens relatè ad talem Virum, non verò ad alios. 4tò Ex commixtione sexuum, ut sunt hermaphroditi, habentes in se utrumq; simul sexum. Plura vide in Mazotta. Tom: 4. de Sacramento Matrim: cap: 12. §. 2.

§. 23.

Matrimonium Clandestinum.

XIII. PRÆSENTIA PAROCHI & TESTIUM.

1. Q. *Quotuplex est Matrimonium Clandestinum?*

R. Duplex. Propriè tale, & impropriè tale. Impropriè tale est illud, quod fit in facie Ecclesiæ & coram requisitis testibus, omissis tamen Bannis à Trident: præscriptis Sess: 24. c. 1. Propriè tale,

quod non servat formam à Trident: Sessione citata præscriptam, quod non celebratur in facie Ecclesiæ, neq; præsente proprio Parocho, & duobus vel pluribus testibus.

2. Q. *Quis censetur esse proprius Parochus Sponsorum Peregrinorum & Vagorum?*

Sed dictum est jam Tract: 13. § XVII. n. 14 & 15

3. Q *An Parochus ad Valorem Matrimonii debeat esse Sacerdos?*

R. Negativè. Siquidem Concil: Trident: hoc non exprimit Validè etiam Parochus assistit Matrimonio Suspensus, interdictus, irregulàris, excommunicatus vitandus privatus administratione Sacramentorum, imo etiam degradatus dummodo non sit actu depositus, quia hæc assistentia non est propriè actus Jurisdictionis Ita Sanchez lib: 3. d 21. cum Communi, quem citat Mazotta loco supra citato

4. Q. *Potestnè Parochus pro se delegare aliũ?*

R. Potest, cui data oretenus sufficit Licentia, & non omnino in scriptis. Ita Sanchez. Pignatelli quos citat Riedl. Thlgiæ Moral: tract: 8 n. 1995.

5. Q. *Quot & quales Testes debent esse præter præsentem Parochum?*

R. Ex mente Tridentini non minus quàm

duo,

duo, ex illis tamen possunt esse & fæminæ præsentes contractui Matrimoniali. Ita Wigant Card: de Lugo.

6. Q. *Validumnè esset Matrimonium contrahentium intra Missarum Solemnia Parochi proprii præsentibus Testibus?*

R. Si Parochus percipit benè circumstantes Matrimonium contrahere in præsentia sui coram testibus, est validum tale Matrimonium; quia & Parochus præsens est & testificari potest de Matrimoniali contractu inter eos se præsente inito. Ita Castro Palao §. 13 n. 1.

7. Q. *Quas pœnas incurrant contrahentes sine Parocho & Testibus?*

R. Præter peccatum, & irritationem talis Matrimonii, nullam determinatam assignat Concil: Trident: sed præcipit graviter puniendos ab Ordinariis, tam assistentem Sacerdotem sine licentia Parochi, quàm testes sine Parocho. Rigidiùs autem mandat puniendos Contrahentes, si illud Matrimonium consummaverint. Sanchez lib: 3. dist: 46.

8. Q. *Quomodo revalidandum sit Matrimoniũ habitâ dispensatione impedimenti dirimentis?*

R. Debet alter Conjux informari de nullitate Matrimonii, & facere novum consensum. Si autem nullitas sine infamia

manifestari non posset, tunc non aperto impedimento interrogetur alter Conjux nullitatis inscius vg *Si contractus Matrimonii nostri esset nullus, & invalidus, an velles me habere Maritum?* Si respondeat affirmativè, tunc & ipse affirmet; quod si tali modo non possit haberi consensus, sufficit copula maritali facta affectu.

§. 24.

De Raptu.

1. XIV. RAPTUS. Q. *Quid nominè Raptus dirimentis Matrimonium intelligitur?*
R. Juxta Trident: Sess: 24. Est violenta abductio fæminæ in ordine ad contrahendum Matrimonium, illà invitâ ac ejus Parentibus.

2. Q. *Quæ conditiones requiruntur, ut hoc impedimentum dirimat Matrimonium?*
R. Quatuor. *1ma* est, ut sit Violentia. *2da* Ut fiat libidinis vel Matrimonii causa *3tia* Ut fiat traductio de loco ad locum. *4ta* Ut persona abducta sit honestæ famæ, nec parti reddita tutæ, id est pristinæ libertati restituta. Ita Trident: Sess: 24. de Reform: c. 6.

3. Q. *Quid si Puella volens sit abducta, Paren-*

rentes verò ejus ſint inviti?

R. Licet ſit grave peccatum, nimirum illa illata injuria Parentibus, Matrimonium tamen tenet.

4. Q. *Quas pænas Raptor, & conſilium e præbentes nec non fautores incurrunt?*

R. Pænam Excommunicationis ipſo jure, ac Infamiæ Clerici verò ad hoc concurrentes pænam Depoſitionis. Ita Trid: loco ſupra citato.

§. 25.

De Divortio.

1. Q. *Quid eſt Divortium?*

R. Eſt Matrimonii ſolutio; ſeu verius: Eſt legitima ſeparatio Viri ab Uxore manente adhuc vinculo Conjugali.

2. Q. *Quotuplex eſt Divortium?*

R. Duplex. *1mum* quo ad Vinculum. *2dum* quo ad Thorum.

3. Q. *An fieri poſſit inter fideles Divortium conſummato Matrimonio, quo ad Vinculum?*

R. Negativè. Eſtq; de Fide, & Patet ex Verbis Apoſtoli Rom: 7. v. 2. *quæ ſub Viro eſt Mulier, vivente Viro alligata eſt legi.* Conſtat etiam ex Florent: & Trident: Seſſ: 24 de Reform: Matrim: can: 5. & 7.

4. Q.

4. Q. *An dissolvatur Matrimonium infidelium etiam consummatum, si unus veram Fidem amplectatur?*

R. Non solvi quidem per Baptismum, solvi tamen posse, ita volente, aut dispensante DEO. *1mò* Si remanens infidelis ideo nolit cohabitare Converso, quia conversus est, nam Apostolus ad Cor: 7. v. 15. dicit: *Si infidelis discedit; discedat*, *2do* Si velit cohabitare, sed non sine injuria Creatoris, aut *3tiò* cum periculo subversionis, quibus casibus conversus aliud Matrimonium inire potest, etiam non expectatâ sententiâ Judicis. Ita Perez D. 36. sec: 6. Si verò ambo Conjuges convertantur, neuter potest ab altero discedere, sed Matrimonium eorum per Baptismum fit ratum. Sanchez lib: 2. d. 9. n. 1. Gobat Tract: 10. num. 390.

5. Q. *Quot, & quæ sunt causæ Divortii?*

R. Quinq; afferri possunt ex Trident: Sess: 24 Can: 8. *1ma* est: Adulterium, nomine cujus venit non solùm naturalis fornicatio cum aliena Persona, sed probabilius etiam Sodomia & Bestialitas. Sanchez lib: 10 dist: 4. *2da* Fornicatio Spiritualis seu lapsus in Hæresim superveniens uni Conjugum post Matrimoniū. *3tia* Sævitia. Si Conjux alteri malum grave moliatur, quod facile vitari non

po-

potest, nisi per divortium, vg: verberatio crudelis, aut mors per venenum inferenda. 4tò Grave periculum corporis ob lepram, pestem, morbum Gallicum. Ita Layman. 5tò Grave malum animi, videlicet: incitatio ad peccandum furandum, occidendum, alios &c. His 6tò additur etiam mutuus consensus.

6. Q. *Qui sunt effectus Divortis?*

R. Tres 1mus relatè ad Dotem & alimenta 2dus relatè ad mutationem Statûs. 3tius relatè ad reconciliationem.

7. Q. *Si Divortium fiat ob culpam Uxoris, ad quid Vir tenetur?*

R Nec alere, nec dotem reddere Uxori debet, cum Viro innocenti addicitur Dos, seu Dotalitium. Ita Sanchez libr: 10. d. 8 imò ipsa tenebitur communicare viro suo, quidquid acquisivit. Ita Palud: & Alii

8. Q. *Si verò Divortium fiat ob culpam Viri, ad quid hic tenetur?*

R. Uxori innocenti restituenda est Dos, & medietas lucrorum usq; ad Divortii tempus ex Cap: *Significavit* cum sit universalis dispositio Juris.

9. Q. *Ubi sunt educandi Filii, si culpâ Matris factum sit Divortium?*

R. Apud Patrem expensis Matris. Si autem hoc Divortium acciderit culpâ Patris,

edu-

educantur apud Matrem expensis Patris. Ita Mazotta Tom. 4 Tract: de Matrim: disp: 5. cap: 2. de effectibus Divortii.

10. Q. *Si verò Divortium aut utriusq; culpâ vel neutrius factum sit, ubi sunt educandi Filii?*

R. Apud Matrem alendi sunt minorennes triennio, apud Patrem Majores triennio.

11. Q *Si Conjux, qui Divortio causam dedit, Fidelis sit alter autem infidelis, cui proles relinquenda erit?*

R. Fideli; ob favorem Fidei. Cap: ult: de Controv: infidelium, idq; notavit Sylvester loco citato.

12. Q. *Si Vir dederit causam Divortio, & Mulier ad secundas transierit Nuptias, cui relinquendi sunt Filii?*

R. Patri, seu Viro. Ita Author Si Pater Codic: Divortiô factô &c.

13. Q. *Danturnè aliqui casus, in quibus non licet dimittere Uxorem ratione Adulterii?*

R. Dantur. Et Casus sunt ejusmodi sequentes: *1mò* Quando adulterium est tantum materiale, sive sine sua culpa commissum vg: si mulier vim passa sit, vel si quis fraudulenter sub specie Mariti eam cognoverit. *2dò* Si Vir fuit Uxori causa adulterii vg: si eam prostituat, vel adulterium consulat, aut in illud consentiat, *3tiò* Quando adulterium ab utroq;

Con-

Conjuge fuit commiſſum. *4tò* Quando injuria ab innocente jam fuerit adultero conjugi remiſſa.

14. Q. *Quotupliciter poteſt fieri remiſſio* ?

R. Dupliciter Tacitè, quando Conjux innocens poſt cognitum adulterium alterius, actum conjugalem cum eo, vel cum ea habuit. Expreſsè, quando verbis innocens condonat alteri injuriam.

§. 26.

De Diſpenſatione in Impedimentis Matrimonii.

1. Q. *Quid eſt Diſpenſatio* ?

R. Eſt Juris Communis relaxatio facta cum cauſæ cognitione ab habente legitimam poteſtatem Papa non poteſt diſpenſare in Impedimentis Jure Naturali ac Divino Matrimonium dirimentibus, poteſt verò diſpenſare in omnibus ſolo jure tantùm Eccleſiaſtico illud dirimentibus. Epiſcopus in Impedimentis Juris Eccleſiaſtici nequit diſpenſare niſi in caſu magnæ neceſſitatis, & concurrentibus certis conditionibus, præcisè pro Foro Conſcientiæ. Conditiones autem ſunt ſequentes: *1mæ* Ut Impedimentum ſit occultum. *2dæ* Ut Matrimonium jam ſit Contractum publicè,

blicè, sive in facie Ecclesiæ, simulq; præmissis Bannis. *3tia* Ut sit contractum bonà fide, id est absq; scientia impedimenti. *4ta* Ut subsit gravis causa dispensandi, seu urgens necessitas.

LIBER III.

De Beneficiis Ecclesiasticis. Jure Patronatûs. Decimis. Parocho, Ejusq; Officio ac Juribus.

§. 1.

De Beneficiis Ecclesiasticis.

1. Q. *Quid est Beneficium?*
R. Est Jus perpetuum percipiendi fructus ex Bonis Ecclesiæ propter Officium Spirituale Authoritate Ecclesiæ constitutum.

2. Q. *Quotuplex est Beneficium?*
R. *1mò* Beneficia alia sunt Majora, ut Papatus, Episcopatus. Et alia minora quæ immediate dictis sunt inferiora. *2dò* Beneficia Curata, quibus annexa est cura Animarum; & non curata quibus non est annexa.

3. Q. *Quotuplex est adhuc Beneficium?*

R. Du-

R. Duplex. Sæculare, quod pro Sæcularibus tantùm eſt inſtitutum, & Regulare, quod pro Regularibus, ac per illos regitur vel ex Fundatione, vel Epiſcopi inſtitutione, vel Annorum 40. cum bona fide & titulo. præſcriptione.

4. Q. *Quotuplex eſt adhuc?*

R. Duplex. Manuale, quod confertur ad nutum Superioris, & aliud non manuale, quod confertur in perpetuum, & hoc eſt propriè Beneficium.

5. Q. *Quotuplex ex adhuc Beneficium?*

R. Duplex. 1mum eſt ſimplex. quod inſtitutum eſt ad preces DEO perſolvendas, & ad Altaris ſervitium, ſine ulla adminiſtratione, aut eminentia Sæculari. 2dum eſt Duplex, quod præter Horas Canonicas & ſervitium Altaris habet ſpecialem præeminentiam, jurisdictionem, & adminiſtrationem Eccleſiaſticam.

6. Q. *Quotuplex eſt adhuc?*

R. Triplex. 1. Collativum, quod confertur à libera voluntate eorum, ad quos collatio pertinet. 2. Electivũ, quod confertur mediante electione à Clericis, ſeu Canonicis facta legitimè, à Superiore confirmatum. 3. eſt Patronatûs, quod ad præſentationem Patroni à Prælato Eccleſiaſtico confertur.

7. Q. *Quotuplex eſt adhuc?*

R. Du-

R. Duplex, Monoculare, quod scilicet est unicum in Ecclesia, vel unicè potest quis conferre. Et Titulare, quod datur in tutulum Ordinis.

8. Q. *Quotuplex est adhuc Beneficium?*

R. Duplex. Patrimoniale, dicitur illud, quod non ratione Patrimonii habeat, sed quod juxta Fundationis institutionem conferri non potest, nisi Clericis ex tali Patria, loco, vel Parochia, oriundis. Et non Patrimoniale, quod cuilibet digno undequaq; oriundo conferri potest.

9. Q. *Quis finis Beneficiorum?*

R. Juxta Trident: sess: 21. cap: 3. de Reform: est Cultus Divinus, ad Ecclesiastica munia subeunda, ac per consequens ad sufficientem sustentationem Ministrorum.

10. Q. *Quomodo acquiratur Beneficium?*

R. Triplici modo. 1mò per Electionem, quæ nihil aliud est, quàm alicujus Personæ idoneæ ad Dignitatem Canonica vocatio à majori parte Capituli. 2dò Per Præsentationem quâ Patronus Beneficii exhibet, seu nominat certam Personam ad illud. 3tiò Per Collationem, quando Beneficium solo jure Prælati liberè absq; capituli electione confertur.

11. Q. *Quot modis amitti potest Beneficium?*

R. Septem. 1mò Per mortem Beneficiati

natu-

naturalem. 2do Per mortem Civilem, seu Professionem Religiosam. Ita Lugo & alii. 3tiò Per militiam sæcularem, si tamen verè exercuerit militaria. 4tô Per Matrimonium etiamsi tantùm ratum 5tò Per commissionem Criminis, cui amissio Beneficii ipso jure est annexa, ut vg: Hæresis, Schisma &c. 6tò per liberam Resignationem, seu spontaneam renunciationem factam coram legitimo Superiore eam acceptante 7mò Ob novum Beneficium incompatibile simpliciter cum priore.

12. Q *Quis de Jure Communi habet potestatem conferendi omnia Beneficia totius mundi?*

R Solus & unicus Papa. Post illum verò quilibet Episcopus in sua tantum Diæcesi.

13 Q *Quot modis conferre solet Papa Beneficia Ecclesiastica?*

R. Tribus. 1mò Jure præventionis, quando Summus Pontifex cuipiam confert gratiam expectatvã ad Beneficium primò vocaturum. 2dò Jure devolutionis, quando propter negligentiam conferendi, vel moram eligendi ab inferioribus Ecclesiæ Prælatis commissam, talis potestas conferendi devolvitur ad Papam. 3tiò Jure Concursûs Papa confert Beneficiũ, eo, quod ipse cum quolibet ordinario Colla-

lato-

latore concurrrat in poteſtate & jurisdictione.

14. Q. *Quæ & quot requiſita debent reperiri in ſubjecto ad dignè obtinendum Beneficium?*

R. Decem. *1mò* Thorus legitimus *2dò* Status Clericalis. *3tiò* Ætas legitima. *4tò* Cælibatus. *5tò* Immunitas à Cenſuris, & Irregularitate. *6tò* Probitas morum. *7mò* Scientia debita. *8vò* Habilitas Corporis *9nò* Intentio Statûs Eccleſiaſtici. *10mò* Carentia Beneficii incompatibilis,

§. 2.

De Jure Patronatûs.

1. Q. *Quid ſit Jus Patronatûs?*

R. Eſt poteſtas præſentandi inſtituendum ad Beneficium vacans.

2. Q. *Quid eſt Præſentatio?*

R. Eſt legitima Perſonæ exhibitio per Patronū facta Epiſcopo vel alteri, ad quem Inſtitutio pertinet.

3. Q. *Quotuplex eſt Jus Patronatûs?*

R. Triplex. Laicum, Eccleſiaſticum, & Mixtum. Laicum eſt illud, quod competit Laico ratione proprii Patrimonii, vel ſucceſſionis Paternæ, vel alicujus tituli ſæcu-

sæcularis. Ecclesiasticum est, quod Ecclesiasticæ Personæ competit ratione Ecclesiæ vel dignitatis aut Beneficii Ecclesiastici. Mixtum, est, quod ex Patronis Ecclesiasticis & Laicis coalescit, spectatq; ad Clerum ex alio titulo vg: Fundatione; & ex alio ad Laicum vg: dotatione

4. Q. *Quotuplex est adhuc Jus Patronatûs?*
R. Duplex. Activum, quando Patronus potest præsentare ad Beneficium. Et Passivum, quando certi ex aliqua Familia (dummodo idonei sint) exclusis extraneis debent ad Beneficium præsentari.

5. Q. *Quotuplex est adhuc Jus Patronatûs?*
R. Duplex. Personale, quod Personæ Fundatoris, vel ejus Hæredi competit. Reale, quod competit certo loco, vg: Castro, Monasterio &c Capitulo

6. Q. *Quot & quibus modis acquiritur Jus Patronatûs?*
R. Tribus præcipuè hôc versu expressis juxta Trident: Sess: 4 de Refor: c. 12.

Patronum faciunt Dos, Ædificatio, Fundus.

Fundasse dicitur is, qui fundum, seu terræ solum dedit, in quo Ecclesia construeretur. Ædificasse dicitur is, qui Ecclesiam suis sumptibus construxit. Dotasse dicitur ille, qui Ecclesiæ annuos reditus sufficienter assignavit.

7. Q. *Quot modis transire potest Jus Patronatûs ab uno ad alterum?*

R. Quatur. *1mò* videlicet successione. vel per testamentum. *2dò* Donatione, *3tiò* Permutatione. *4tò* Venditione non quidem Juris Patronatûs. siquidem hoc vendi. non potest, quia esset Simonia, sed emptione Bonorum. vi quorum hæres acquirit jus Patronatûs, seu præsentandi.

8. Q. *Quot sunt, & quæ Jura Patroni?*

R. Præcipuus locus in Ecclesia. *2dò* Onus & Officium Ecclesiam, ejusq; bona tuendi, & protegendi. *3tiò* Jus præsentandi ad Beneficium vacans. *4tò* Ut Patrono, ejusq; Filiis in summa inopia existentibus de bonis Ecclesiæ succurratur. Glossa Cap: *Nobis* quæ Jura his versibus exprimuntur.

Patrono debetur honos. onus utilitasq;
Præsens ut præsit, defendat, alatur egenus.

9. Q. *Quomodo cessat Jus Patronatûs?*

R. *1mò* Per Voluntariam remissionem hujus Juris. *2dò* Per extinctionem Familiæ, cui erat affixum jus præsentandi. *3tiò* Si Ecclesia penitus destruatur sine spe reædificationis. *4tò* Per sententiam in pænam delicti. *5tò* Per præscriptionem. *6tò* Per occisionem, vel mutilationem Clerici Ecclesiæ patronatæ. *7mò* Si Pa-

tronus consentiat, ut Beneficium uniatur Monasterio. *8vò* Per Simoniam in cessione Ejus commissam. *9nò* Si Patronus usurpet Bona Beneficii. *10mò* Si ingratus sit Ecclesiæ.

10. Q. *Quis est capax Juris Patronatûs?*

R. Clerici & Laici tam Masculi, quàm Feminæ, non tamen infidelis, etiamsi Ecclesiam ædificaret.

11. Q. *Potestnè Patronus seipsum præsentare?*

R. Non potest, benè tamen Filios, Consangvineos aut Amicos Ita Engel.

12. Q. *Intra quale tempus debet præsentare Patronus?*

R. Laicus intra 4. Menses Ecclesiasticus intra 6. cui variare non licet. Si verò sit Mixtum utriq; 6. Mensium conceditur tempus ad præsentandum, quô elapsô devolvitur collatio Beneficii ad Episcopum, si non convenerint Patroni in præsentando, ubi sunt plures

13. 3. *Quando devolvitur Collatio Beneficii ad Episcopum?*

R. *1mò* Si Patroni sint plures, & intra tempus sibi à lege præfixum de instituenda Persona non concordaverint. *2dò* Si Persona à majori parte Patronorum præsentata, repugnantibus aliis, non possit sine scandalo substitui, tunc namq; potest, & debet Prælatus, ut melius

secundum DEUM judicaverit Ecclesiæ providere. *3tiò* Si de Jure Patronatûs contingat lis, & inter dictum tempus non fuerit definitum, cui competat, ex cap: quoniam. 3 de Jure Patron. Idq; provisum est, ne Ecclesia diu maneat legitimo destituta Rectore & ne Beneficia diu suspensa maneant in Eecclesiæ perniciem.

14. Q. *Quomodo succedant Hæredes in Jus Patronatûs?*

R. Per Stirpes, & non per Capita, & sic si Petro Patrono succedant duo Filii Franciscus & Joannes; his defunctis succedant unus Filius Joannis, & duo aut plures Filii Francisci, hi duo aut plures Filii Fracisci succedunt minimè, ut tot Patroni, sed ut unus Patronus in Jure stirpis, nempe sui Patris Francisci.

§. 3.

De Decimis.

1. Q. *Quid sunt Decimæ?*

R. Sunt decima pars omnium fructuum justè acquisitorum, DEO in recognitionem sui Dominii debita, atq; Ecclesiæ Ministris quotannis exsolvenda.

2. Q. *Quotuplices sunt Decimæ?*

R. Triplices. Reales sive Prædiales, Persona-

fonales, & Mixtæ. Reales ſive Prædiales ſunt, quæ ſunt ex fundis ſeu bonis immobilibus vg: agris vineis, ſylvis, piſcinis, hortis molendinis, ædium locatione penduntur. Perſonales verò ſunt quæ ex lucro perſonalis induſtriæ vg: negotiatione, artificio venatione, artium profesſione ſolvuntur; ſed hæ ſunt abrogatæ & iis ſubrogati creduntur reditus Stolæ Mixtæ deniq; id eſt partim prædiales, partim perſonales ſunt, quæ ex fructibus pecorũ, aut avium in propriis prædiis occurrente perſonali induſtria, videlicet ex lacte, caſeo, ovis penduntur.

3. Q. *Quotuplices ſunt Decimæ Reales?*

R. Duplices. Majores, quæ ex Vino, frumento, & aliis ſimilibus præſtantur. Minores verò, quæ ex hortis, & aliis hujusmodi minutionis redduntur. Ita Layman Tomo 2. tract: 6. cap: 1. n. 4.

4. Q. *Quo Jure debentur Miniſtris Eccleſiæ Decimæ?*

R. imò Jure Naturali, quod obligat ad ſtipendium laboris. Divino, quô operariis mercedem ſolvi vult. Matth: 10. *Dignus eſt operarius cibo ſuo.* quatenus verò conſiderantur ſecundum quotam ſeu decimam partem, debentur ſolo jure Eccleſiaſtico.

5. Q. *Quæ Perſonæ ad Decimas obligentur?*

R, Omnes, qui Bona habent ſtabilia, onerata ſolutione Decimarum. Unde tenentur non tantum ſæculares ad ſolvendas decimas, ſed etiam Regulares, & alii Clerici poſſidentes Bona & prædia, quæ dum a Laicis poſſiderentur, decimarum ſolutioni erant obnoxia. Ita decrevit S. Congreg: 15. 9bris 1659. & in una Cracov: 10 Junii 1645. ita reſolutum eſt Moniales etiam tenentur ad præſtandas Decimas, ut cenſuit S. Congr: 1. 7bris 1629.

6. Q. *Quibus pendendæ ſunt Decimæ ?*

R. Pro ſtatu mederno Decimæ de Jure Cõmuni ſolvendæ ſunt propriis Parochis. Ita Communis ex C. *Cum à nobis* C. cum contingat de Decimis ac aſſerit Schnell Thlgiæ Moral. par 3. tract: 2. n. 427.

7. Q. *Quomodo, & ubi Decimæ pendendæ ſunt?*

R. Decimæ prædiales debentur ſtatim, ut fructus à ſolo ſeparati atq; collecti ſunt. Ita expreſsè habetur in Cap.. Cum homines de Decimis Juncta Gloſſa verb: fructibus collectis. Quas Decimas non Domini aut Coloni debent ad Horreum Eccleſiæ deferre, ſed ſoli Parochi, niſi conſvetudo loci aliter obtinuerit. Ita Layman. Th: Mor: lib: 4. tract: 6. cap: 5 n. 2. de Decimis & alii ibidem.

8. Q *Quot modis obtineatur immunitas à ſolvendis Decimis ?* R.

R. 1mò Privilegio, & quidē, Solius Pontificis. C. tua & C. dudum de decimis. Höc modo eximuntur Regiosi à Decimis de Novalibus, quæ propriis manibus, aut sumptibus excolunt vg: de hortis, & fætibus animalium suorum &c. 2dò Consvetudine. 3tio Præscriptione. Annis videlicet 40. 4tò Compositione approbata ab Episcopo vel Officio, ac Remissione C. ex multiplici de decimis. 5tò Paupertate, quæ si gravis sit solutionem decimarum differt, si autem extrema, tunc omnino extingvit: quia tunc cum sint omnia communia, ipse consumpsit, quod suum fuit. Vide P. Reiffenstul à num: 35. Pichler n. 11.

9. Q. *Quarum virtutum sunt actus solutio Decimarum?*

R. Religionis & Justitiæ, idcirco, qui defraudant Decimas, peccant contra ejusmodi virtutes, committuntq; crimen Sacrilegii.

§. 4.

De Parocho, eiusq́ Officio &c.

1. Q. *Quid nomine Parochi intelligatur?*

R. Cum Barbosa de Offic: par: 1. c. 1. apud Ethnicos illi dicebantur Parochi, qui

Le-

gatis publice Romam missis, victui necessaria suppeditabant, apud Christianos verò ii dicuntur Parochi, qui Authoritate Episcopi Ecclesiis præfecti, Divi Verbi, & Sacramentorum pabulum ad pascendas animas sub ministrant. Alio nomine Parochus dici solet Plebanus, à plebe vel populo, cujus curam gerit. C. *Scriptum est* de Elect.

2. Q. *Quo differt Parochus à Plebano?*
R. Juxta Textum in cap: statutum juncta Glossa hôc differt, quia Plebanus propriè talis habet Ecclesiam sub se plures Ecclesias, vel capellas habentem, Parochus verò unam tantùm habet, nihilominus isti sæpius confunduntur ad invicem.

3. Q. *Quæ ætas requiritur in Parocho?*
R. Juxta Trident: Seß: 24. cap. 12. debet habere Annum vigesimum quartum completum.

4. Q. *Quâ scientiâ pollere debet Parochus?*
R. Sufficienti.

5. Q. *Quod est Officium Parochi?*
R. Juxta illud Joan: 21. v. 17. *Pascere oves Christi.*

6. Q. *Quot modis oves Christi pascendæ à Parocho?*
R. Tribus, Doctrinâ, Exemplô, Sacramentis. Videlicet ut Parochus doceat subditos scitu necessaria ad salutem prædican-

cando. Præcedat bono exemplo. Adjuvet Sacramentorũ administratione Fusius de hac re Concil: Trident: Seſſ: 5 c 2. de Reform: & Seſſ: 24. c. 4. & 7. ubi dicit triplex esse munus Parochi. *1mò* Docere congregatum Populum ad Divina, quæ facienda, quæ fugienda, quæ sunt necessaria ad salutem *2dò* Diebus Festivis instruere Rudes in Articulis Fidei, & ad Obedientiam erga DEUM & Parentes inclinare *3tiò* Vim & Virtutem Sacramentorum exponere, ac in lege erudire.

7. Q. *Quæ obligatio Parochi docendi Rudes ?*
R. Esse obligationem sub mortali, in iis, quæ ad salutem pertinent Ita Svarez de Relig: Tom: 2. lib: 2. c. cap: 16. n. 17.

8. Q. *Unde colligitur tanta obligatio ?*
R. *1mò* Ex Lege Divina ut patet ex Verbis Christi. *Docete omnes gentes.* *2dò* Ex Lege Naturali ob fructus Beneficii, perceptos, ut 1. Corint: 9. v. 13. patet, *qui in Sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt.* *3tiò* Ecclesiastica, ut patet in multis locis, & maximè Trident: Seſſ: 5. cap: 2 de Reform.

9. Q. *An ab hac obligatione excuset Parochũ vel inattentio Auditorum, vel nullus eorum fructus, negotiorum mulititudo, vel docendi imperitia ?* R.

R. Minimè.

10. Q. *Qualem Zelum debent habere Parochi?*

R. Singularem. *1mò* circa instructionem puerorum. *2dò* circa reductionem aberrantium à Fide & præceptis Divinis. *3tiò* circa discordiarum compositionem. *4tiò* circa decorem Domûs DEI &c. *5tò* circa infirmorum curam.

11. Q. *Qualis vita debeat esse Parochorum?*

R. Exemplaris juxta verba S. Pauli ad Titum cap: 2. v. 7. in omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum.

12. Q. *Quæ est ulterior obligatio Parochi?*

R. *1mò* Missam diebus Dominicis & Festivis celebrare pro populo juxta Trident: Sess: 23. cap: 1. Si autem pingviores sunt reditus Beneficii, etiam tenetur quotidie. Ita S. Congreg: in una Lucana 10. Maii 1681. & quidem per seipsum· *2dò* Residere in Parochia. Ita Trident: Sess: 23. Can: 1. Cum quo solus Episcopus, & raro dispensare potest de justa causa ad Bimestre, de gravi autem ultra. Ita Trident: lolo citato.

13. Q. *Quæ sunt causæ excusantes à Residentia in sua Parochia?*

R. Juxta Trident. Sess: 23. c. 1. *1mò* Christiana Charitas. *2dò* Urgens necessitas *3tiò* Debita Obedientia *4tò* Evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas. *5tò*

Gra-

Gravis infirmitas, quæ si perpetua fuerit & incurabilis, potest Beneficium resignare, aut ab Episcopo Coadjutorem petere, ut in cap: de Rectr.

14. Q. *Quæ sunt pœnæ statutæ ex Canonibus & Tridentino pro Parochis non residentibus in sua Parochia ?*

R. *1mò* Privatio fructuum Beneficii spectato tempore absentiæ, reservata sibi tamen parte concernente recitationem Officii. Ita Passevinus Barbosa &c. *2do* Privatio Beneficii post Sententiā Judicis. Ita S. Congreg: Concil: apud Ventrigl: n. 16.

15. Q. *Quid sunt & quæ jura Parochialia ?*

R. Sunt illa, quæ ita competunt Parocho, ut à nullo altero, nisi de Ejus, vel Ordinarii licentia exerceri licitè possint, & talia sunt præsertim sequentia Novem: *1mò* Delatio Stolæ in Processionibus & Funeralibus ex Decret: S. Congr: Concil: 25. Julii 1695. *2dò* Benedictio Domorū in Sabbato Sancto. *3tiò* Receptio Decimarum. *4tò* Administratio Sacramenti Eucharistiæ tempore Paschali. *5tò* Administratio Infirmis Viatici, & Extremæ Unctionis. *6tò* Detentio Clavis Tabernaculi, & eorum quæ pertinent ad Sacramenta S. Congreg: Concil: 18. 9bis 1693 *7mò* Benedictio Sponsorum, & Cadave-

rum

rum defunctorum antequam è loco leventur. S. Congreg: Concil: 14. Febrar: 1694. 8vò Publicatio Matrimonii S. Congreg: Episcop: 13. Junii 1615. 9no Benedictio Fontis Baptismalis.

16. Q. *Quid sunt? & quot sunt Functiones Parochiales?*

R. Sunt ille, quæ quidem conveniunt Parocho, non tamem ita soli, ut alter similes functiones non possit habere; & sunt sequentes: *1mo* Celebratio Officii super Cadaveribus. *2do* Receptio Mulierem ad purificationem post partum, quam etiam licitum est dare & Regularibus. *3tio* Solemnis Benedictio Cinerum, Palmarum, Candelarum. *4to* Celebratio Missæ Feriæ V. in Cæna Domini. *5to* Delatio & Expositio publica Sacramenti Eucharistiæ, & alia similia, quæ videantur apud Barbosam Cap 391.

§. Unicus.

De quibusdam Decretis, Constitutionibus, Brevibus, Epistolis Benedicti XIV. scitu necessariis.

Constitutio Benedicti XIV. Super designatione Confessariorum Extraordinariorum pro Monialibus.

Pastoralis Curæ Nobis impositæ munus &c.

reli-

reliquum hujus Constitutionis est in Bullario Benedicti XIV; Tom: 2. pag: 281 quæ hôc locò ob prolixitatem suam omittitur, specialiora autem puncta quæ continentur in illa annotantur. *1mo* Ex mente Concilii Trident: Sess. 25. Cap: 5 & novissimè ex Constitutione Benedicti XIV. edita 1748. die 5. Augusti patet non tantùm posse sed etiam debere omnino concedi Confessarium Extraordinariũ per Superiores sui Ordinis Monialibus bis aut ter super annum. *2do* Quod si petiissent alium Extra Ordinem aut Sæcularem? concedendus est semel tantùm in anno, qui fuisset propositus & expetitus à Monialibus. Ubi notandum est; quod prædictus Summus Pontifex in dicta sua Constitutione hæc quinq; expressè statuit à Confessario Extraordinario observanda: *1mo* Ut non tantùm detur Extraordinarius Confessarius toti Cõmunitati Monialiũ, sed etiam particulari personæ, si extra hoc tempus, quo datur omnibus talis Confessarius, vellet alium. *2do* Confessarius Extraordinarius non tantùm ipsis Monialibus Professis concedi debet, sed etiam aliis mulieribus, & puellis, quarum ordinariè unicus per annum Confessarius deputari solet. *3tio* Quod si in hac re Superiores Regulares diffici-
les.

les, aut negligentes fuerint, ad Episcopos Diæcesanos spectabit assignare Confessarios alios. *4to* Dum Extraordinarius Confessor alicui Communitati deputatus fungitur suô officiô, protunc Ordinarius Confessor nullum ipsi impedimentum inferre audeat, neq ullô modô præsumat per hoc tempus alicujus Monialibus aut Mulieris intra septa Monasterii commorantis Confessionem audire. *5tio* Extraordinarius Confessor ad unam vel omnes deputatus post absolutum suum Officium nunquam amplius ad idem Monasterium accedere præsumat sub quovis prætextu, etiam causæ spiritualis.

Constitutio Benedicti XIV.

Contra Confessarios sollicitantes, quæ incipit: *Sacramentum Pænitentiæ &c.* edita 1. Januarii 1741. & est in Bullario Tomo 1. pag: 30 in qua Pontifex §. 2. non jubet absolvere eos pænitentes, qui sollicitantes Confessarios denuntiare nolunt.

§. 3. Qui autem falsò accusarent Confessarium, tanquam calumniatores non possunt absolvi, nisi à solo Papa.

§. 4. qui incipit *Demum* Adimit potestatem Confessariis absolvendi peccata luxuriæ illarum feminarum cum quibus ipse Sacer-

cerdos peccavit. Seu reſpectu cujus peccati ipſe Confeſſarius eſt complex facti ſub Excommunicatione Majori ſoli Papæ reſervata, niſi talis pænitens ſit conſtitutus in articulo mortis, & alius Confeſſarius protunc haberi non poſſit. Extra mortis articulum pro invalida habet hujusmodi abſolutionem, tanquam à Sacerdote non approbato, etiam tempore Jubilæi.

dem Benedictus XIV. in Conſtitutione, quæ incipit: *Suprema omnium Eccleſiarũ &c.* ſeriò prohibet Confeſſariis, ne à Pænitentibus Confeſſarii exquirant ſociorum in crimine nomina extat in Bull. ejusdem Tom: 1. pag: 326. Quam conſtitutionẽ confirmavit poſteã 1746 die 2. Junii *Ubi primum &c.* & habetur in Bullario Tom: 2. pag: 33. in qua confirmatione, & pænas ſtatuit delinquentibus Confeſſariis, & modum aſſignat procedendi contra illos. Creſcente poſtea ubiq; locorum hujuſmodi abuſu, ſivè illicita curioſitate exquirendi complicum nomina, idem Benedictus XIV. in Conſtitutione quæ incipit: *Ad eradicandum &c.* Anno 1746. die 28, Octobris edita iteratò ſtatutas pænas ad univerſam extendit Eccleſiam. Hæc Conſtitutio reperitur in Bullario Tom: 2. pag: 87. Tandem 1749

die

die 5ta Decembris plenius contra taliter delinquentes Confessarios statuit pœnas in Constitutione, quæ incipit: *Apostolici Ministerii &c.* & est in Bullario Tom: 3. pag: 59. in qua Constitutione §. 7. Omnibus Fidelibus (sub pœnis quibus arcentur nolentes denuntiare Confessarium Sollicitantem) præcipit, ut talem Confessarium inquirentem in Confessione complicum nomina, & alter nolentem absolvere deferant S. Inquisitionis Officio; vel ubi hoc non habetur, Ordinario Loci.

Epistola Encyclica Benedicti XIV.

Ad Primatem & Episcopos Regni Poloniæ.

De tollendis abusibus in Oratoriis privatis, quæ sunt in Domibus Laicorum.

Hæc Epistola incipit: *Magno cum animi Nostri dolore &c.* ob prolixitatem suam hic non inseritur, sed vide in Bullario Benedicti XIV. Tom. 3. pag: 216. Anno Dni 1751. die 2da Junii specialiora puncta hujus epistolæ breviter hic recensebo citando Paragraphos.

§. 1. Commemorat omnibus Polonis, quomodo in Concil: Trident: opera Cardinalis Osii Polonis statutum fuerat, ut non amplius Episcopi habeant facultatem

con-

concedendi usum privati Oratorii in Domibus Laicorum, ac celebrandi Missam in illis, ut videre est Sess. 22. ejusdem Concilii Tridentini.

§. 14. Requirit idem Summus Pontifex ut in privatio Oratio adsit omnino una saltem Persona ex illis, quibus concessum est Privilegium Oratorii, quales personæ solent esse Maritus & Uxor, quibus inscriptæ sunt Literæ Privilegii. Nisi præter istas exprimantur in corpore Indulti aliæ Personæ vg: Mater, aut Pater vel Filii Patrisfamilias, quibus concessum erit audire Missam diebus festivis in privato Oratorio cum satisfactione præcepti Ecclesiastici de audienda Missa. In tali casu sufficit ad celebrationem Missæ in Oratorio privato quæcunq; ex his expressis personis, quibus Indultum favet vg: si adsit præsens Pater vel Mater ipsius Patrisfamilias cui principaliter concessum est Indultum, ut expressè explicat in eadem Epistola §. 17. qui incipit: *Atq; ut res &c.*

§. 18. Resolvit Pontifex quorundam dubium de Oratorio privato concesso personæ vavaletudinariæ; utrum in illo possunt tres Missæ absolvi in die Nativitatis Domini? Respondet Papa posse, propter consolationem infirmi, etiamsi de die unica tan-

tum

tùm missa in Indulto permittatur celebrari.

§. 19. Extra casus necessitatis prohibet ne administrentur Sacramenta Baptismi & Pænitentiæ in privatis Oratoriis, nisi quò ad hoc exigat vel necessitas, vel specialis facultas Episcopi. Quod idem asserit sequentibus paragraphis Ex quo patet; quod ultra Indultum de celebranda Missa in privato Oratorio debet haberi specialis facultas ab Ordinario de Administrandis Sacramentis. In casu tamen infirmitatis alicujus ex domesticis indultariis, poterit Capellanus Confessionem audire, & Eucharistiam dare Ratio est: quia in Regno Poloniæ, & maximè in Russia magna est distantia Ecclesiarum. Tum quia major videretur irreverentia Venerabili Sacramento Eucharistiæ, si ex Ecclesia Ruthenorum nullis comitantibûs deferatur ad infirmum, quàm si infirmus commun caret in Oratorio privato.

§. 22. Prohibet Regularibus ne Dominica Paschatis tribuant Laicis SS. Eucharistiam, etiam illis, qui jam alias feria Cænæ Domini Paschalem sumpserunt Communionem, aliis vero diebus totius Anni concedit facultatem distribuendi Eucharistiam Laicis juxta Constitutionem Pauli IV. concedentis Fratribus Minoribus.

§. 27.

§. 27. Contra Capellanos inobedientes concedit Episcopis procedere per Censuras.

§. 29. Concedit Regulares olim habuisse Privilegium Altaris Portatilis, nunc verò per Trident: Sess: 22. est funditus abrogatum.

§. 31. Idem Sanctissimus tractat, quod post Concilium Tridentinum in illis tantùm locis concessa sunt Oratoria privata in quibus aut non est Ecclesia, aut quia propter Hæreticorum potentiam fideles ad illam sine gravi periculo pervenire non possunt. Porro in Regno Poloniæ non sunt ita frequentes Hæretici, in Russia tamen pluribus in locis desunt Ecclesiæ.

§. 32. Narrat Sanctissimus quod Anno 1580 Gregorius XII. dedit facultatem Provincialibus Ordinis Prædicatorum in Regno Poloniæ quatenus suis Subditis possint concedere, ut in locis honestis sive in privatis Oratoriis celebrent Missam in præsentia Catholicorum. Quā concessionē Gregorii XIII. non abrogat idē Benedictus XIV. in sua Epistola ad Primatem Regni Poloniæ: quæ concessio fuit post Tridentinum.

§. 34. Prohibet Regularibus exorcizare, etiam in propriis Ecclesiis multò magis in alienis, nisi prius fuerint approbati ab Ordinario Loci.

Epiſtola Encyclica Benedicti XIV.

De Miſſa Parochiali pro Populo, & Conventuali pro Benefactoribus applicanda.

Cum ſemper nobis oblatas occaſiones &c. quæ fuit edita Anno 1744. die 19. Augusti, & reperitur in Bullario ejuſdem Benedicti XIV. Tom: 1. pag: 222. Hæc ob prolixitatem omittitur, ſpecialiora autem puncta, magis ſcitu neceſſaria adnotantur, prout ſequitur.

§. 4 Jubet Pontifex, ut Miſſam Parochialem abſolvant pro Parochianis, non tantùm ipſi Parochi, ſed in eorum abſentia Vicarii, tam Sæculares, quàm Regulares pro tempore exiſtentes, etiam ad breve tempus, non obſtante defectu congrui reditus ex Parochia.

§. 6 Aſſignat dies, quibus pro Parochianis Miſſa directè abſolvi debet, nempè Dominicas & Feſta de præcepto, ſivè celebria ad populum. Quibus diebus juxta Trident: Seſſ: 24. cap: 4. tenentur Parochi Rudimenta Fidei, & obedientiam erga DEUM, & Parentes docere pueros ſuæ Parochiæ.

§. 8. Diſpenſantur pauperes Parochi, quatenùs

nûs diebûs festivîs possint absolvere Missam ad intentionem dantis stipendium, cum hac tamen obligatione, ut alio die ejusdem Hebdomadæ Parochialem Missam celebrent cum applicatione pro Parochianis, quam ratione stipendii dati applicare die festo omiserunt.

Anno 1626 die 1. Junii emanavit Decretum S. Congr: de propaganda fide, quô ad Confessiones excipiendas Ruthenorum à Latinis Presbyteris; & è contra Latinorum à Ruthenis Presbyteris unitis, & ab Episcopis approbatis. In quo Decreto prohibetur Episcopis tàm Latinis, quam Ruthenis, ne suis subditis denegent facultatem adeundi Confessarios diversi Ritus.

Constitutiones Benedicti XIV. de Matrimonio.

Admonitio.

Ad Episcopos Regni Poloniæ, ut cautius procedant in admittendis Conjugiorum dissolutionibus edita Anno 1741. die 11. Aprilis quæ incipit: *Matrimonii &c.* & est in Bullario ejusdẽ Benedicti XIV. Tom: 1. pag: 27.

Anno Dni 1741. die 2. Novembris in Constitutione quæ incipit: *Dei miseratione*: statuit; coram quibus, & quo ordine, ac formâ peragenda sunt Matrimonialium judicia; quæ Constitutio reperitur in Bullario Tom: 1. pag: 49.

Anno Dni 1741. die 4. Novembris in Declaratione sua, quæ incipit: *Matrimonia &c*, estq; in Bullario Tom: 1. pag: 53. decernit Matrimonium esse validum inter Hæreticum & Catholicam fæminam, aut inter ambos Hæreticos non obstante, quod in illo contrahendo juxta Decretum Concil: Trident: non fuerit præsens Parochus; damnat tamen primum Matrimonium. tanquam illicitum, ut videre est in eadem Declaratione §. 3. neq; in talibus Matrimoniis concedit facultatem dispensandi Episcopis. nisi Hæreticus prius omninò abjuret Hæresim, antequàm contrahat Matrimonii Sacramentum cum Catholica; nec sufficit si promittat se abjuraturum; ut patet ex Constitutione ejusdem Benedicti XIV. ad Episcopos Poloniæ ordinata Anno 1748. die 29. Junii quæ incipit: *Magnæ Nobi: admirationis &c.* & est in Bullario Tom: 2. pag: 247. Porro Matrimonium Hæbræi, aut alterius non baptizati cum Hæretica vel Catholica est invalidum, estq; reiteran-

randum, poſtquam Judæus Baptiſmum ſuſceperit; ut patet ex Declaratione ejusdem Benedicti XIV. edita Anno 1749 die 9. Februarii quæ incipit *Singulari &c.* & eſt in Bullario Tom: 3. pag: 2.

Anno 1742. die 25. Februarii in Conſtitutione quæ incipit: *Ad Apoſtolicæ &c.* & eſt in Bullario Tom: 1. pag: 77. in qua Conſtitutione §. 1. Nullam eſſe diſpenſationem Matrimonii ſi falſa ratio Sedi Apoſtolicæ à Procuratoribus deſcribatur, vel immutetur, aut ſuperaddatur cauſa diſpenſandi, quæ in rei veritate non eſt, talesq; jubet ſeriò puniri, tanquam reos falſi in materia gravi.

§. 6. Obligat Epiſcopos ſub onere Conſcientiæ, ut antequam diſpenſationis gratiam exequentur, prius ſedulò examinent. an cauſæ diſpenſationis in Apo..olicis Literis expreſſæ ſint veræ?

Anno 1743. die 18. Maii in Conſtitutione: *Nimiam licentiam* quæ eſt in Bullario Tom: 1. pag: 168. damnat & arguit abuſus in Regno Poloniæ, circa Matrimonia ineunda, exprobrans Polonis, nullibi in toto Orbe Chriſtiano tam frequentes adeſſe diſſolutiones ac divortia Matrimoniorum, quàm in Regno Poloniæ. Cauſas controverſiarum de invali-

dita-

ditate assignat has §. 5. *1ma* Quia pro suo libitu abusivè dant Episcopi Indulta, quò àd denuntiationes non faciendis in facie Ecclesiæ. *2da* Quia ex levissima causa committitur assistentia alteri Sacerdoti, quàm proprio Parocho. *3tia* Quia Matrimonium contrahitur in Polonia non in facie Ecclesiæ, sed in Angulo domûs Magnatum. *4ta* Quia Parochi à Sponsa & Sponsó privatim, & ad aurem non explorant liberam voluntatem.

§. 9. Gravissimam causam requirit Papa in dicta Constitutione, ut alter quam Parochus proprius Matrimonio de præsenti contrahendo intersit.

§. 10. Dat regulas Parocho: *1mò* Ut ante denuntiationes Sponsæ & Sponsi voluntatis libertatem ad aurem exploret, ac inquirat, utrum aliquod impedimentum non interveniat? *2dò* Juxta Decretum Concil: Lateran, & Trident: trinas denuntiationes faciat, ut ex illis audientes aliquod impedimentum occultum detegant.

§. 16. Nuntio Apostolico Varsaviæ sedenti adimit potestatem dispensandi in denuntiationibus.

§. 17. Graviores Episcopis minatur pænas, si hanc Constitutionem non observent, promittens; Judicium causarum Matrimonia-

lium

lium Poloniæ, quò ad primam etiam instantiam sibi reservaturum. Cum hæc Constitutio Benedicti XIV. directè ordinata sit pro Regno Poloniæ, idcirco ea, quæ sunt in illa specialiora adnotari curavi. Præter has, sunt & aliæ Constitutiones ac Encyclicæ Epistolæ Benedicti XIV. ad Archi Episcopos. Episcopos, Abbates &c. Ritus Græci in Russia, & Lithvania degentes, quarum longam seriem recensere exigua pagina non permittit. Ut autem pro opportunitate temporis faciliùs inveniri possint in Bullario ejusdem Benedicti XIV. breviter annoto illas.

Anno 1744. die 2. Maii Confirmatio unionis & lia plura Decreta ad Regimen Ruthenorum pertinentia, scripta ad Illustrissimum ac Reverendissimum Athanasium Szeptycki Archi Episcopum Metropolitanum totius Russiæ quæ incipit: *Inter plures* & est in Bullario Tom: 1. pag: 210.

Anno 1751. die 20. Aprilis scripsit idem Benedictus XIV. Epistolam Encyclicam ad omnes vocales Ordinis S. Basilii Magni in Capitulo Generali convocatos, quæ incipit: *Etsi persvasum habemus.*

quæ

quæ Epiſtola reperitur in Bullario ejuſdem Papæ Tom: 3. pag: 208. Addidit item Conſtitutionem eodem Anno 1751. IV. Calendas Aprilis Pontificatûs ſui anno 11. Romæ ad S. Mariam Majorem, in qua Presbyteris in Ruſſia Polonica degentibus permiſit in Ruthenorum Unitorum Eccleſiis, deficientibus lapideis Altaribus, ſeu tabulis conſecratis, & Calicibus aureis, ſive argenteis, Miſſarum Sacrificia ſuper eorundem Ruthenorum Antimenſiis & cum Calicibus ex ſtanno celebrare.

Idem Benedictus XIV. Anno 1745. die 5. Novembris Romæ ſub annulo Piſcatoris ſcripſit Literas, Quarũ initium: *Ab eo tempore &c.* de dierum feſtorũ obſervatione. In eadem Materia ſcripſit Breve idem Benedictus XIV. Anno 1748. die 22. Decembris pro Regno utriuſq; Siciliæ, quod incipit: *Cum ſicut &c.* ad inſtantiam Sereniſſimi Caroli Regis, ac Archi-Epiſcoporum, Epiſcoporum Regni Siciliæ circa Pharum, in quo & pauperum calamitatibus ſubveniendo, & Sanctorum dierum cultui amplificando intentus, feſtis quibusdam diebus ſervilia opera exerceri poſſe permiſit.

Quod

Quod favorabile Breve non tantùm Benedicti XIV. Austriacis Regnis concessum, verum etiam Pii VI. feliciter Regnantis ad universum extensum Christianum Orbem nobis commemorans Excellentissimus, Illustrissimus & Reverendissimus Josephus Garampi Archi-Episcopus Berytensis, in Regno Poloniæ & Magno Ducatu Lithvaniæ Nuntius edidit Epistolam Encyclicam Anno 1775. die 30. Junii Varsaviæ ad Illustrissimos Archi Episcopos, Episcopos Regni Poloniæ: quomodo observandi sunt dies Festivi, & qualibus sit vacandum operibus. Exprimit igitur mentem Sanctissimi Domini Nostri Papæ Pii VI. de observatione Festorum, dicendo ut vacemus tam Orationi vocali, quàm auditioni Missæ, Concioni, Catecheti, largitioni eleemosynæ &c. & abstineamus ab operibus servilibus, commessationibus, ebrietatibus, ludibriis, & spectaculis vanis. Insuper adiicit hanc esse mentem Sanctissimi Pii VI. ut diebus cassatis addicti glebæ Cmetones & Subditi non Dominis suis obsequium præstent, sed in commodum suum laborent. 2dò Ne nundinæ, mercatus, & compotationes practicentur. 3tio Venditio rerum ad victũ quotidianũ

ad

ad certam horam ante Devotionem clausis ostiis, & foribus permittatur.

Plura vide in variis Authoribus, hæc autem in hoc Compendio Sufficiant.

Quæ omnia cedant
Ad Majorem DEI T. O. M. Gloriam
ac Animarum Salutem.

FINIS.

Lub — S. 2 et 3 —
Cc — ——
Onanism ——
nowy kaznodzieja. S. 2 —
Synaksarion —— 1
Homilie Męki B. S. 2 —
Pastorał —— S. 1
Godlews —— S. 1
Bourcale — S. 1
Reguła Cong. Miss —

Si Marcus Pascha celebrabit
et Joannes in corpore stabit
Totus mundus Ve clamabit